



13 Studniafe z miedzianej tonj. Wiesz pome sie za kielcami  
Amicni d. Jaluła Matec y Przegor maki dya i ego  
K. 2. na wloty in Matw. i dgo

43970

•(S)•(X)•(S)•

REGVLA  
BEATISSIMI PATRIS NOSTRI  
FRANCISCI,  
A Sancta Sede Apostolica  
Approbata & Confirmata,  
Cum TESTAMENTO Eiusdem.

I O S V E I.

*Pro Conuentu Sordemini  
3<sup>o</sup> Inno. Reformatoꝝ  
ad Cellam S. Quirici*

*Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed me-  
ditaberis in eo diebus, ac noctibus; ut custodias  
& facias omnia, qua scripta sunt in eo, tunc  
diriges viam tuam, & intelliges eam.*

A D G A L A T. VI.

*Quicumq; hanc Regulam secuti fuerint, pax super  
illos, & misericordia.*

Anno Domini, M. DC. LXXX VII.

GRACOVIA,  
Ex Officina NICOLAI SCHEDEI, S. R. M. Typogr.

43370

## Approbationis & Confirmationis Regulæ Testimonium.

**H**onorius Episcopus ; Servus Servorum DEI, dilectis filijs Fratri FRANCISCO, & alijs Fratribus de Ordine Fratrum Minorum salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apostolica pijs votis, & honestis petentiũ desiderijs favorem benevolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris pijs precibus inclinati Ordinis vestri Regulam, a bona memoria INNOCENTIO PAPA predecessore nostro approbatam, annotatam presentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Quæ talis est.

IN NOMINE DOMINI,

*Incipit Regula, & Vita Fratrum Minorum,*

CAPVT I.



**R**EGULA, & Vita Fratrum Minorum hæc est; scilicet Domini nostri IESV Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Frater FRANCISCVS promittit obedientiam, & Reuerentiam Domino Papæ Honôrio, ac successoribus eius canonicè intrantibus & Ecclesiæ Romanæ. Et alij Fratres teneantur Fratri FRANCISCO, & eius Successoribus obedire.

*De his, qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant. Cap. II.*

**S**I qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros Provinciales; quibus solummodo, & non alijs recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri verò diligenter examinent eos de fide Catholica, & de Ecclesiasticis Sacramentis. & si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri; & vsque in finem firmiter obseruare; & vxores non habent, vel si habent & iam Monasterium intrauerint vxores; vel licentiam eis dederint, auctoritate Diocesani Episcopi, voto continentie iam emisso; & illius sint ætatis vxores, quod non possit de eis oriri suspitio; dicant illis verbum sancti Euangelij, quod vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare; Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et capeant fratres, & eorum Ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, vt liberè faciant de rebus suis quicquid Dominus inspirauerit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes; quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputis, & cingulum, & brachas, & capparonem vsque ad cingulum; nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & Regulam obseruare. Et nullo modo licebit eis de de ista Religione exi-

Iuxta mandatum Domini Papæ; quia secundum sanctum Evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Et illi, qui iam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio; & aliam sine caputio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus inuantur; & possint ea repetiari de sacco, & alijs petijs, cum benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor ne despiciant, neque iudicent homines, quos viderint mollibus vestimentis, & coloratis indutos, uti cibus, & potibus delicatis; sed magis unusquisque iudicet, & despiciat semetipsum.

*De Diuino officio, & ieiunio, & quomodo fratres debeant ire per mundum. Cap. III.*

**C**Lerici faciant Diuinum officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster pro matutino; pro laudibus quinque pro Prima Tertia, Sexta, & nona. pro qualibet istarum septem; pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem, & orent pro defunctis. Et ieiunent à festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania, vsque ad continuos quadraginta dies quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sint à Domino, & qui nolunt, non sint astricti: sed aliam vsque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Alijs autem temporibus non teneantur nisi sexta Feria ieiunare. Tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo vero, moneo, & exhortor fratres meos in Domino IESU Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti, & humiles honestè loquentes omnibus, sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcunq; domum intrauerint, primùm dicant: Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium, de omnibus cibus, quæ apponuntur eis, liceat manducare.

*Quod Fratres non recipiant pecuniam. Cap. IV.*

**P**recipio firmiter Fratribus vniuersis ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam Tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs fratribus iaduendis, per amicos spirituales Ministri tantum, & Custodes sollicitam curam gerant, secundum loca, & tempora, & frigidam regionem, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper alio, ut (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant.

*De modo laborandi. Cap. V.*

Fratres

**F**ratres illi; quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fide-  
liter, & deuotè ita quod, excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis  
& deuotionis Spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia de-  
seruire. De mercede verò laboris pro se & suis fratribus corporis necessa-  
ria recipiant, præter denarios, vel pecuniam. Et hoc humiliter, sicut decet  
seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

*Quod Fratres nihil sibi approprient, & de eleemosyna peten-  
da, & de Fratribus infirmis. Cap. VI.*

**F**ratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem;  
sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate, & hu-  
militate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec  
oportet eos verecondari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in  
hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissi-  
mos Fratres meos heredes, & Reges Regni cælorum instituit, pauperes re-  
bus fecit virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in  
terram viuentiũ. Cui dilectissimi fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud  
pro nomine Domini nostri Iesu Christi, in perpetuum sub Cælo habere  
velitis. Et vbiq; sunt, & se inuenerint Fratres, ostendant se domesti-  
cos inuicem inter se, & securè manifestet vnus alteri necessitatem suam;  
quia si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem, quantò diligentius  
debet quis diligere, & nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum  
in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei seruire, sicut vellent sibi  
seruire.

*De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda. Cap. VII.*

**S**i qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis pec-  
catis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos  
Ministros Provinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quàm  
citius poterunt, sine mora. Ipsi verò Ministri, si Presbyteri sunt cum mi-  
sericordia iniungant illis pœnitentiam. Si verò Presbyteri non sunt, in-  
iungi, faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum me-  
lius videbitur expedire. Et cauere debent ne irascantur, & conturbentur  
propter peccatum alicuius, quia ira, & conturbatio in se, & in alijs impedi-  
unt charitatem.

*De electione Generalis Ministri huius fraternitatis, & de  
Capitulo Pentecostes. Cap. VIII.*

**V**niuersi fratres vnum de Fratribus istius Religionis teneantur sibi  
habere Generalem Ministrum, & seruam totius Fraternitatis, & re-  
ueantur

neantur firmiter obedire. Quo decedente, electio Successoris fiat à Ministris Provincialibus, & Custodibus in Capitulo Pentecostes; in quo Provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicunque à Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret Univerſitati Ministrorum Provincialium, & Custodum, prædictum Ministum non esse sufficientem ad seruitium, & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post capitulū verò Pentecostes Ministri, & Custodes possint singuli, si voluerint & eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodijs semel fratres suos ad Capitulum convocare.

*De Prædicatoribus. Cap. IX.*

**F**RATRES non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à Ministro Generali huius Fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo sibi Officium prædicationis concessum. Moneo quoque, & exhortor eosdem Fratres, vt in prædicatione, quam faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad vtilitatem, & ædificationem populi; annuntiando eis vitia, & virtutes, poenam, & gloriam, cum breuitate sermonis; quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

*De admonitione, & correctione Fratrum. Cap. X.*

**F**RATRES, qui sunt Ministri, & serui aliorum Fratrum, visitent, & moneant Fratres suos, & humiliter, & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, & Regulam nostram. Fratres verò, qui sunt subditi, recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter Præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ. Et ubicunque sunt Fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & possint recurrere. Ministri verò charitatiuè, & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatē habeant circa ipsos, vt dicere possint eis, & facere, sicut Domini seruis suis. Nam ita debet esse, quòd ministri sint serui omnium Fratrum. Moneo vero, & exhortor in Domino IESU Christo, vt caueant Fratres ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, ira, & sollicitudine huius sæculi, detractioe, & murmuratione. Et non erant nescientes literas, literas discere; sed attendant, quod super omnia



omnia desiderare debent; habere Spiritum Domini, & sanctam eius operationem orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in persecutione, & in infirmitate; & diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt & arguunt, quia dicit Dominus; diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum caelorum. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.

*Quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.*

*Cap. XI.*

**P**raecipio firmiter Fratribus vniuersis, ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum, & ne ingrediantur Monasteria Monacharum; praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur.

*De euntibus inter Saracenos, & alios infideles. Cap. XII.*

**Q**vicunque Fratrum, Divinâ inspiratione, voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles, petant inde licentiam a suis Ministris Prouincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant a Domino Papa vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem S. R. E. stabiles in Fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promissimus, obseruemus.

*Confirmationis Regula Conclusio.*

**N**vlli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Laterani tertio Kal. Decembris, Pontificatus Nostri anno Octauo.

*Verba Beati Petri nostri Francisci exhortatoria ad Fratres.*

**O** Dilectissimi Fratres, & in æternum Benedicti Filij.

Audite me: Audite vocem Patris vestri. Magna promissus: Maiora promissi sunt nobis. Seruemus hæc: Suspendimus ad illa. Voluptas brevis: Poena perpetua. Modica passio: Gloria infinita. Multorum vocatio: Paucorum electio. Omnium retributio.

*Maledictio*

*Maledictio eiusdem SS. P. N. Francisci contra Præuaticatores Re-  
gula fulminata qui hunc Ordinem relaxant & alios suis malis  
exemplis Scandalizant.*

**A**TE Sanctissime Pater & à tota cælesti Curia & à me Pauperulo sint  
maledicti, qui suo malo exemplo confundunt & destruunt quod tu per  
Sanctos Fratres huius Ordinis ædificasti & ædificare non cessas.

I N C I P I T  
T E S T A M E N T V M  
B E A T I P A T R I S N O S T R I  
F R A N C I S C I .

**D**OMINVS dedit mihi Fratri FRANCISCO ita incipere  
facere pœnitentiam: quia cùm essem in peccatis, nimis vi-  
debatur mihi amarum videre leprosos: sed ipse Dominus  
conduxit me inter illos: & fecit misericordiam cum illis.  
Et recedente me ab ipsis, id quòd videbatur mihi ama-  
rum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ, & corporis. Et postea pa-  
rùm steri, & exiui de sæculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ec-  
clesijs, vt ita simpliciter adorarem, & dicerem. Adoramus te Sanctissime  
Domine I E S V Christe hic, & ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto  
mundo, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti  
mundum. Postea Dominus dedit mihi tantam fidem in Sacerdotibus, qui  
vivunt secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, propter Ordinem ipso-  
rum quòd si facerent mihi p̄secutionem volo recurrere ad ipsos. Et si ha-  
berem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit; & inuenirem pau-  
perulos Sacerdotes huius sæculi: in Ecclesijs, in quibus morantur nolo  
predicare contra voluntatem ipsorum: & ipsos, & omnes alios volo time-  
re, amare, & honorare, sicut dominos meos: Et nolo in ipsis considerare  
peccatum: quia Filium Dei discerno in eis, & domini mei sunt. Et propter  
hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc sæculo de ipso altissimo  
Filio Dei, nisi sacratissimum corpus eius, & sanctissimum sanguinem suum  
qui in ipsi conficiunt, & ipsi soli alijs administrant. Et hæc sanctissima  
reuerentia super omnia volo honorare, & venerari, & in locis pretiosis col-  
locare. Sanctissima vero nomina, & verba eius scripta, vbiunque inue-  
nero

nero in locis illicitis, volo colligere, & rogo, quod colligantur, & in loco honesto collocentur. Et omnes Theologos, & qui ministrant nobis sanctissima verba Divina, debentus honorare, & venerari, sicut, qui ministrat nobis spiritum, & vitam. Et postquam Dominus dedit mihi, de Fratibus, nemo offerebat mihi, quid deberem facere: sed ipse Altissimus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Evangelij. Et ego paucis verbis, & simplicibus feci scribi & Dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia, quae habere poterant, dabatur pauperibus. Et eramus contenti tunica una intus, & foris, reperiata cum cingulo, & brachiis: & volebamus plus habere. Officium dicebamus nos Clerici secundum alios Clericos. Laici dicebant Pater noster. Et satis libenter manebamus in Ecclesijs. Et eramus idiotae & subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alij fratres firmiter volo, quod laborent, de laborio, quod pertinet ad honestatem: & qui nesciunt, discant: non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris; sed propter bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurrebam ad mensam Domini, petendo aelemofynas ostiatim. Salutationem mihi Dominus revelavit, ut diceremus. Dominus det tibi pacem. Caveant sibi fratres, ut Ecclesias; & habitacula, & omnia alia, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant; nisi essent secundum sanctam paupertatem, quam in Regula promissimus: semper ibi hospitantes, tanquam advenae & peregrini. Praecipio firmiter per obedientiam fratribus uniuersis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam literam in Curia Romana, per se, vel per interpositam personam; neque sub specie praedicationis neque pro persecutione suorum corporum: sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram; ad faciendum ibi poenitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire Generali Ministro, & illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare; & ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire, vel facere ultra voluntatem suam: quia Dominus meus est. Et quamuis sim simplex, & infirmus; tamen volo semper habere Clericum, qui mihi faciat officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alij fratres teneantur per obedientiam obedire Guardianis suis & facere officium secundum Regulam. Et qui inuenti essent, qui non facerent officium secundum Regulam, & vellent alio modo variare, aut non essent Catholici; omnes fratres, ubicumque sunt per obedientiam teneantur, quod ubicumque intenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, ubi ipsum inuenerint, debeant praesentare. Et Custos teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vineulis, die, noctaque; ita quod non possit eripi e-

manibus suis: donec in propria persona sua, ipsum representet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales Fratres, qui die noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis donec representent ipsum coram Domino Ostiense, qui est Dominus Protector, & corrector istius Fraternitatis. Et non dicant Fratres hæc est alia Regula quia hæc est recordatio, admonitio, & exhortatio, & meum Testamentum: quod ego Frater Franciscus parvulus vester, facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc, ut Regulam, quam Domino promissimus, melius Catholicè observemus. Et Generalis Minister, & omnes alij Ministri, & Custodes, teneantur per obedientiam in istis verbis non addere, vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum iuxta Regulam. Et in omnibus Capitulis, quæ faciunt, quando legunt Regulam, legant & ista verba. Et omnibus Fratribus meis Clericis, & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in Regulam, nec in istis verbis dicendo, ita volunt intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi pure, & simpliciter dicere, & scribere Regulam, & ista verba, ita simpliciter, & purè sine glossa intelligatis, & cum sancta operatione observetis usque in finem. Et quicumque hæc observaverit, in Cælo repleatur benedictione Altissimi Patris cælestis, & in terra repleatur benedictione dilecti filij sui, cum Sanctissimo Spiritu Paraclito, & omnibus. Vir-  
tutibus Cælorum, & omnibus Sanctis. Et ego Frater Franciscus parvulus vester, & servus, quantumcunque possum confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.

*Explicit Testamentum Beati Patris Francisci.*

## Quomodo Zelaret Regulam suam Beatus FRANCISCUS.

**B**EATUS FRANCISCUS communem Professionem & Regulam ardentissimè zelans, volebat quod semper apud se Fratres haberent Regulam; & qui circa eam erant zelatores, singulari benedictione eos benedicebat, hanc enim suis Fratribus dicebat esse. Librum vitæ; Spem salutis, Medullam Evangelij, Viam salutis, Clavem Paradisi; Pactum æterni Fæderis. Hanc volebat ab omnibus sciri; & in alleviatione tædij, & memoria præstiti iuramenti, cum interiori homine confabulari; Docuit eam semper, cum intermissione agenda vitæ portari præ oculis, & (quod plus est) cum ipsa de-  
bere mori.

Honori-

Honorius III. B. FRANCISCO consulens, vt aliqua in Regula posita mitigaret: respondit Ego Beatissime P. precepta aut verba illa in Regula non posui, sed Christus, qui omnia vtilia ac necessaria saluti animarum ac Fratrum; & bono statui, ac conseruationi Religionis melius omnibus nouit, cuius omnia que Ventura sunt in Ecclesia & Religione nostra presentia sunt & patent. Non ego debeo nec possum Christi verba mutare, aut omnino abolere. Quo audito, discretus Pastor habito maturo Cardinalium consilio, Regulam hanc solenniter approbavit per Bullam. *Solet annuere Sedes Apostolica &c.* Pisan. l. i. Confor.

LEO X. Religionem Seraphicam dicit esse sanctam & immaculatam, in qua per speculum siue macula, Redemptoris contemplatur presentia, Vitæ Christi & Apostolorum inspicitur forma. &c.

NICOLA III. in Decret: *Exijt.* Hæc est apud DEVM & Patrem munda & immaculata Religio quæ descendens à Patre luminum per eius Filiū exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & demum per Spiritum Sanctum B. FRANCISCO, & eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet Testimonium Trinitatis.

S. Vincentius Ferrerensis dicit, Qui istam Regulam seruat sanctus est, & posset dum moritur canonicari.

Doctor Navarrus. Veneror inquit Regulam illam altissimam, Sancti FRANCISCI; Vt Obseruantes eam ad vnguem, & mentem Autoris, reputem quosdam incruentos Martyres.

## Forma Benedictionis pro Ieiunantibus S. BENEDICTAM.

PRIMA die post absolutam Benedictionem quæ occurrit 18. Febr. dato signo ad prandium. Prælati sedebit, ceteri omnes stabunt vt in benedictione mensæ, vocabit igitur Superior benedicendos ad locum culpæ his verbis.

VENITE benedicti Patris nostri humiliare vos ad benedictionem Vocati statim, venient, & flexis genibus ante Superiorem, culpam recognoscent, & petent benedictionem, dicendo. Benedicite Pater Reuerende. Quibus antequam benedicet breuibus & efficacibus verbis gratificabit.

*Primò.* Quod constantes & patientes fuerint. *Secundò.* Quod consilio & desiderio S. P. Francisci satisfecerint. *Tertiò.* Quod communitatem hanc edificauerint. *Quartò.* Quod secundum Professam S. Paupertatem paucis contenti fuerint. His dictis surget Prælati & in eodem loco stans dabit sequentem benedictionem.

Ÿ. Adiutorium nostrum in nomine Dñi. R. Qui fecit cœlum & terram.  
Ÿ. Sit nomen Domini benedictum. R. Ex hoc nunc & vsque &c,  
Ÿ. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat.  
Ÿ. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo,

O R E M V S.

**D**omine sancte Pater æterne DEVS qui corporali ieiunio vitia comprimis mentem eleuas, virtutem largiris & præmia, per merita & Sacra B. P. Francisci ieiunia qui imitatoribus tuis S. Quadragesimam quæ incipit ab Epiphania vsq; ad 46. cõtinuos dies voluntarie ieiunantibus tuã vberem benedictionẽ promisit, quam Dominus noster IESVS Christus Filius tuus suo quoq; S. ieiunio cõsecrauit & firmavit Bene ¶ dicere digneris tua ingenti benedictione per nostræ humilitatis seruitutem huic hæreditati tuæ quam per obseruantiam S. & Benedictæ Quadragesimæ tibi purificasti & Sanctificasti. Multiplica super nos misericordiã tuam & infunde cordibus eorum Religionis S. Professæ augmentum vt te super omnia diligentes, tibi soli Deo puro corde & mundo corpore omnibus diebus vitæ suæ irreprehensibiliter SS. PP. exempla sectando seruire valeant, & tandem repleti omni benedictione, hic & in cœlestibus ad tui regni gloriam cum omnibus nobis peruenire mereantur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Et benedictione perpetua bene ¶ dicat vos S. Trinitas increata & indiuisa vnitas & Beata Virgo Mater DEI Immaculata atq; Seraphicus Pater Noster Franciscus & tota cœlestis curia beata. In Nomine Pa ¶ tris & Fi ¶ lij & Spiritus ¶ Sancti, Amen.

*Poterunt eadem die isti Benedicti vocari à Fratribus omnibus.*

B E N E D I C T I.

**D**ominus noster IESVS Christus, qui per ieiunium quadraginta dierum Desertum sanctificauit, ille nos benedicat, & Sanctificet, & ad hoc Sacrum ieiunium vltierus peragendum, prosequendumq; quo ad vixerimus, animum, viresque concedat, qui cum Patre & Spiritu sancto viuut & regnat, in sæcula sæculorum, Amen.



STA.

**S T A T V T A**  
**PROVINCIAE REFORMATÆ**

**S. M A R I Æ A N G E L O R V M**

Minoris Poloniæ Fratrum Minorum

**S. P. F R A N C I S C I** Reformatorum,

Ex Pontificijs, Sacriq; Concilij Decretis, pro Regularium Reformatione præscriptis; atq; ex Generalibus Ordinis, & Reformationis Constitutionibus deprompta. In Capitulo PROVINCIALI

Cracoviensi, vnanimi omnium Patrum, &

Vocalium consensu, acceptata: ac ab A-

postolico Commissario Adm. R. P.

Paulo à Lauda, Anno Dñi. 1638.

die 9. Septembris. approbata

& confirmata.

Novissimè, vigore Compromissi in Capitulo PROVINCIALI. Anno Dñi. 1686. die 7. Julij, ab omnibus & singulis Patribus Vocalibus dati.

In Congregatione Stobnicensi, Anno Dñi. 1687. diè 26. Junij. per Patres Compromissarios revisa, & in aliquibus iuxta modernas Pontificum Ordinationes modificata & correctâ, ac à pleno Diffinitorio subscripta.

---

CRAC: Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S. R. M. Typ.

*Anno Domini, 1687.*







B R E V E  
A P O S T O L I C V M

Patri Paulo à Lauda, Commissario ad  
restituendum Patres Reformatos  
Polonos in pristinum.

V R B A N V S P A P A V I I I .

Dilecte Fili; Salutem, & Apostolicam be-  
nedictionem.

**A**lias; dilecto Filio, Michaëli à Cassentino, Or-  
dinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Ob-  
seruantia nuncupatorum, Prouincia Sancti Ber-  
nardini Professoris; uisitationem, & correcti-  
onem Fratrum Minorum Sancti Francisci, tam Reformato-  
rum, quam non Reformatorum, Regni Poloniae, necnon dif-  
ferentiarum, & dissidiorum inter eosdem ortorum, ac nunc  
vigentium, compositionem, & terminationem, per nostras in  
simili forma Breuis expeditas Literas commisimus, prout in  
dictis Literis, quarum tenorem presentibus pro expressis ha-  
bere volumus, plenius continetur. Cum autem sicut accepi-  
mus, dictus Michaël, Capitulum quidem in Prouincijs Poloniae  
celebrauerit, sed Reformatos suis Custodibus & discretis Cu-

Stodialibus, quibus regebantur destitutos, ac protestantes, se  
degere velle iuxta introductam, & confirmatam iam per Nos,  
Nostrosq; Prædecessores Romanos Pontifices, strictiorem Ob-  
seruantiam, & reclamantes se ad Unionem, cum non Refor-  
matis nullatenus consentire, Superioribus non Reformatis sup-  
posuerit, & subiecerit. Vnde maioribus rumoribus concitatis  
permulti ex Reformatis ad Romanam Curiam venerunt, petē-  
tes à Nobis, sibi de opportuno remedio prouideri. Et non mo-  
do multi Ecclesiarum Præsides, ac Nobiles Viri eiusdem Regni;  
sed etiam Charissimus Filius Noster Vladislaus Polonia ac Sue-  
cia Rex Illustris, nobis supplicari fecerit, vt pro eorundem  
Fratrum tranquillitate, discordijs, atq; dissidijs huiusmodi ob-  
uiam ire, illasq; de medio tollere, de benignitate Apostolicâ di-  
gnaremur. Nos, qui Personarum Regularium quarumlibet,  
præsertim sub strictioris Regularis Obseruantia disciplinâ fa-  
mulantium, Altissimo, quieti libenter consulimus. Pius V ladi-  
slai Regis, necnon Præsulum, & Nobilium prædictorum votis,  
quantum in Domino possumus, annuere volentes, huiusmodi  
supplicationibus inclinati. Te, de cuius probitate, Religionis  
zelo, integritate prudentia, & dexteritate, plurimum in Do-  
mino confidimus: eorundem Fratrum Minorû Strictioris Ob-  
seruantia, in Regno Polonia & tam in Reformatorum, quàm in  
non Reformatorum Conuentibus existentium, Commissarium,  
& Visitatorem, tam in Capite, quàm in membris, Apostolicâ  
authoritate tenore præsentium facimus, constituimus, & de-  
putamus; eâ tamen conditione, vt simul tu, cum Visitatore  
Fratrum eiusdem Regni non Reformatorum, hodie à Nobis etiã  
deputato, vel alio eius nomine, omnium & singulorum Refor-

matorum voluntatem, & intentionem explores, notatoq; nomi-  
ne Fratrum Reformatorem consentientium, ac etiam aliorum,  
qui ex in non Reformatis, ad Reformatos transire voluerint,  
eosdem in Conuentibus Reformatorem à Te conuocatos, Tu  
solus visites, & iuxta Regularia instituta corrigas, & refor-  
mes, & ad Capitulum, in aliquo Conuentu Reformatorem à Te  
assignando, congreges. Et si numerus Fratrum Reformatoreū  
huiusmodi, sufficiens fuerit, ad erectionem duarum, vel vni-  
us saltem Prouinciarum Reformatarum, in eodem Capitulo de-  
uenias, ac Prouinciales, vel Prouincialem Ministrum, Custo-  
des pro Capitulo Generali, Diffinitores, Prouinciales, Guardi-  
anos, aliosq; Officiales ex eisdem Fratribus expressè in Refor-  
matione Professis, auctoritate Nostrâ, Tu solus cum probor-  
um Fratrum Reformatorem consilio, ad triennium duratu-  
ros, pro hac vice tantum, nomines, & instituas. Ministri au-  
tem, & Custodes, Guardiani, & alij Officiales, à Te hac ratio-  
ne instituti, & pro tempore, iuxta Sacrorum Canonum dispo-  
sitionem, laudabilemq; Ordinis consuetudinem postmodum eli-  
gendi, & deputandi, omnibus facultatibus, iurisdictionibus,  
gratijs, indultis, ac Priuilegijs, quibus fruuntur, potiuntur, &  
gaudent; pari modo frui, potiri, & gaudere, tam in Capitulis,  
& Congregationibus Generalibus, quam in alijs negotijs omni-  
bus, intra & extra Ordinem prædictum perpetuis futuris tē-  
poribus possint, & valeant. Si autem ad Erectionem duarum,  
vel vnius Prouinciæ, Reformatorem, vel Reformandorum  
numerus non suffecerit; discretioni tuæ cōmittimus, vt ex eis-  
dem Reformatis, vnam aut duas Custodias, cum suis Reforma-  
tis Custodibus, Discretisq; Custodialibus, iuxta Apostolicas cō-

stitutiones, Statum Reformatorum concernentes, instituas: quousq; Fratrum numerus, ad Ereccionem Prouincia, vel Prouinciarum, sufficiens excreuerit.

Quodsi nec ad formandam Custodiam numerus Reformatorum satis fuerit, Conuentus Reformatorum iisdem assignes, in quibus vitam Reformatam sine perturbatione ducere possent, & in iis unum ex iisdem Reformatis Commissarium, loco custodis, ad triennium duraturum, praeficias; à quo ad Prouincialem eiusdem Prouincia, interponi possit in secundis instantijs appellatio, & in quolibet Capitulo Prouinciali, in posterum quousq; sufficiat ad Ereccionem Custodia, vel Prouincia numerus Reformationi, talis Commissarius, à Prouinciali, & Diffinitoribus ad petitionem & nominationem Reformatorum destinetur, & concedatur. Dictiq; Reformati Prouinciarum, & Custodiarum, praefato Procuratori Generali Reformatorum, subiacere debeant. Mandantes praeterea in Virtute Sanctae Obedientiae, ac sub indignationis & alijs arbitrij Nostri pœnis, omnibus Fratribus Reformatis, & non Reformatis, quacumq; autoritate, Officio, & superioritate fungentibus; ut Te, in Commissarium recipiant, & in omnibus praesentium Literarum executionem concernentibus pareant, obediant, & assistant: alioquin pœnas, & sententias quas contra inobedientes, & rebelles, ritè tuleris, & statueris, ratas habebimus, & faciemus Authore Domino, usq; ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari; non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinibus, & Prouinciarum huiusmodi, etiam iuramento Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliâ roboratis, Statutis, Consuetudinibus, Priuilegijs, quoq; Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, firmatis, & innouatis, quibus singulis, & omnibus eorum tenoribus praesentibus, pro plenè, & sufficienter expressis haberi volumus, illis alias in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat specialiter, & expressè derogam⁹, ceterisq; contrarijs quibuscunq;.

Datum Romæ, apud S. MARIAM MAIOREM, sub Annulo Piscatoris. Die Vigesima Octauâ Augusti. Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Sexto. Pontificatus Nostri, Anno Decimo quarto.

M. A. MARALDVS.

PROTESTATIO & COMPROMISSVM  
CAPITVLI PROVINCIALIS

FRATRVM MINORVM REFORMATORVM

Provinciæ S. MARIE Angelorum Minoris Poloniæ

celebrati in Conventu Crac: ad S. CASIMIRVM,

die 7. Iulij. Anno Domini, 1686.

**D**ie sequenti scilicet die 8. Iulij. de mane antequam expiraret Authoritas & Iurisdictio PP. Gvardianorum ad pulsum campanæ convocavit R.P. Commissarius ad Refectorium omnes PP. vocales à quibus simul congregatis quæsitum fuit.

*Primo.* Vtrum consentiant omnes Nomine totius Prouinciæ ad correctionem Statutorum Provincialium: in aliquibus punctis, per Patres ab eisdem Capitularibus eligendos, nominandos, & deputandos; in Ordine ad impressionem eorundem Statutorum? Idem Quæsitum fuit de Ordinario? Et Responsum est ab omnibus & Singulis. Quod Ita

Tandem ab Iisdem Venerabilibus Capitularibus pro hoc opere Exequendo, designati fuerunt. A. R. P. VALERIANVS Rzevuscius, Pa-  
ter Prouinciæ.

R. P. ANDREAS Niedzwieccius Custos. M. V. P. IGNATIVS Cetna-  
rouius Diffinitor. & M. V. P. DANIEL Brykner Ex Diffinitor.

*Secundo.* Quæsitum fuit vtrum lidem Patres Capitulares velint & No-  
mine Totius Prouinciæ protestentur se velle obseruare deinceps REGV-  
LAM secundum Declarationes NICOLAI III. & CLEMENTIS V. præ-  
cisè, non admissa vlla Dispensatione prout hætenus Prouinciæ obserua-  
uit & obseruat, ac obseruare tenetur inherendo Statutis tam Generali-  
bus, quam Provincialibus Reformationis? Et Responsum est ab omnibus  
& singulis: quod ita.

Fr. IACOBVS Zagorovius Diffinitor Notarius mpr.

Fr. BONIFACIUS Terbus Commiss: Visitator Generalis, mpr.

Fr. SEBASTIANVS Voliccius, Guard. Zaklicinen: mpr.

Fr. AMBROSIVS Iamniccius Guard. S. Annæ mpr.

Fr. BONAVENTVRA Proszkouiuis Guard. Stobnicen: mpr.

Fr. ZACHARIAS Bielinscius Guard. Sendomirien: mpr.

Fr. AVGV-

- Fr. AVGVSTINVS Iurkouijs Guard. Becensis. mpr.  
 Fr. IOSEPHVS Strozynscius Guard. Zamoscensis, mpr.  
 Fr. DIDACVS Kobacius Guard. Leopoliensis, mpr.  
 Fr. BONIFACIUS Kozmiccius Guard. Casimiriensis. mpr.  
 Fr. IOANNES Bienkouijs Guard, Premissiensis mpr.  
 Fr. DANIEL Brykner Ex Diffinitor. mpr.  
 Fr. FRANCISCVS Iarozzkouijs Ex Diffinitor. mpr.  
 Fr. ROMVALDVVS Kamienczyk Ex Diffinitor. mpr.  
 Fr. MARIANVS Nizinkouijs Diffinitor Actualis, mpr.  
 Fr. IGNATIUS Cernarouijs Diffinitor Actualis. mpr.  
 Fr. ANDREAS Niedzwiedceius Custos Actualis Prouinciz, mpr.  
 Fr. VALERIANVS Rzeuuscus Ex Custos Pater Prouin: mpr.  
 Fr. STEPHANVS Vrbanides Prouinciz Pater. mpr.  
 Fr. LVDOVICVS Roziccus Ex Minister Prouincialis. mpr.  
 Fr. IOACHIMVS Stanzel. Minister Prouincialis, mpr.

Approbat Reuerendissimus in suis Litteris  
 ad R. P. Ministrum Prouincialem.

**C**ommendo plurimum, quod cum Patribus Vocalibus sanc-  
 citum est, renunciando scilicet concessionibus MARTI-  
 NI IV. & V. ac adhærendo tantum NICOLAI III. & CLE-  
 MENTIS V. Declarationibus. Circa Statutorum reforma-  
 tionem, quam P. V. facere intendit, benedictionem meam  
 in Domino concedo; nolo autem quod ultra debitum, & Pa-  
 trum Diffinitorij assensum aliquid innouet.

Romæ die 17. Augusti 1686.

Fr. PETRVS Marinus. Miñr. Gñalis.





IN NOMINE DOMINI AMEN.

INCIPIUNT  
STATUTA  
PROVINCIALIA  
CAPVT I.

Z BIBLIOTEKI  
KATOLICKI  
W BIAŁYMOSTKU  
1800

**S**tatuta Instituti Nostri Vniuersa, cunctæq; Nostræ Ordinationes, ipsimet Regulæ, Professionis Nostræ, eiusq; præceptis, debent esse ita conuenientes, & consonæ, vt exigente, & quasi instigante ipsâmet Regulâ, constitutæ videantur.

I. Quoniam ergò in primo Regulæ Capitulo, pura & integra Regularis Observantia, atque prompta, ac perfecta (cui nihil est non facile, vel peruium) Obedientia, Fratribus commendatur, & præcipitur: capropter, ante omnia, id inprimis statuitur; vt Fratres Reformati, Regulam Professionis suæ, omnes vniuersim, & vniuersaliter obseruent, secundùm meram puritatem, & plenam integritatem, Seraphici Patriarchæ, Patris Nostri Sancti FRANCISCI vitæ, & conuersationi, ac intentioni, conformem.

II. Quia verò Decretales NICOLAI III. & CLEMENTIS V. pro authentica Regulæ nostræ interpretatione editæ, puritati eiusdem Regulæ, ne minimùm aduersâtur, suntq; veri, & genuini sensûs Regulæ patefactiue, ac in fauorem, strictioris Observantiæ conscriptæ: idcirco præcipitur, vt Fratres Refor-

Reformati; ad earum solummodo præscriptum, ita præcepta Regulæ obseruent, vt quæcunq; media, seu modos præfata Declarationes, ad præcepta Regulæ dextrè, & decenter obseruanda consulunt, ea solummodò adhibeant.

III. Quarum Declarationum, vt plenior ab omnibus notitia habeatur, earumq; executio omnibus inculcetur; ordinatur, vt prædictæ Declarationes, in eodem cum hisce Statutis Libello, compingantur. Quotiesq; ex præscripto, Statuta ista publicè legenda erunt, toties & Declarationes istæ publicè legantur.

IV. Et quoniam omnes omnium Ordinum Religiosorū Regulares, suauis Obseruantia iugo, per abnegationem propriae voluntatis, colla submitunt; conuenit profectò, vt Regulæ arctissimæ Professores; & Legis, & Obedientiae perfectissimæ sint studiosissimi; ad quod veri Minoritæ à IOANNE XXII. in Decretali Quorundam exijt: exemplo Saluatoris nostri IESV Christi excitantur, qui vitam potius, quàm Obedientiam perdere maluit.

V. Quocirca veri Minoritæ, non expectato etiam Superiorum præcepto, voluntatem eorum libenter, promptè, alacriter, statimq; exequantur. Nec tantùm propriam voluntatem; verùm & iudicium proprium, suis Superioribus submittant, credantq; id melius esse, quod ab eis præcipitur, quàm quod ipsis mens propria suggerit. Vnde in dubijs etiam, circa Regulæ intellectum emergentib<sup>9</sup> (eodem Sancto Pontifice, in eadem Decretali seuerè id Fratribus præcipiente) Superiorum suorum (qui pro eis peruigilant, tanquam pro animabus ipsorum, DEO rationem reddituri) saniori iudicio, & determinationi acquiescant.

VI. Illi proinde, qui per nimiam libertatem, & abundantiam in suo sensu, peruicaces in suâ opinione, Superioribus acquiescere, & parere temerariè, & scandalosè, detrectarent; acri vexatione, atq; adedò & Censuris Ecclesiasticis, à IOANNE XXII. in tales fulminatis, ad mentem, & intellectum saniozem reducantur.

VII. Quia



VII. Quia verò indiscreti quidam, ac propè simulati, Statutorum, ac Regulæ Observatores, deuotio numq̃; ac Observationum spontanearum supersticiosi cultores, ita quandoq̃; rigorosè apices Statutorũ suorũq̃; exercitiorũ obseruant, vt malint potius præcepta Superiorum eludere, & Obèdientiam excutere, quàm suæ indiscretæ Observationis metam præterire: idcirco nouerint Fratres Nostri, quòd perfectissima Obèdientia, & absolutissima, qualem Nos Minoritæ ( præ alijs omnibus Religiosis ) sanctè profitemur, nullos limites habeat, quos Superior præcipiendo transilire possit.

VIII. Fratres igitur Reformati, Superiori quæcunq̃; præcipienti, ad nutum obtemperent. Quicunq̃; autem Statutorum, dispositionisq̃; Capitularis, aut priuatæ exèptionis prætextu, Superiori quidpiam, præter, aut vltra ista præcipienti, obsequi, suoq̃; officio, aut iuri priuato renuntiare renuerint, graui inobedientiæ pœnâ afficiantur.

IX. Neque verò ipsimet tantum Superiori immediatè præcipienti; verum signo etiam, & nuntio voluntatis suæ, Fratres vniuersi, obedire teneantur. Quocirca Patres Sacerdotes, non expectatâ Fratris Sacristæ vocatione, ad primum campanæ ictum, omnibus posthabitis, ad celebrandum suo ordine Missæ Sacrificium, tempestiuè accedant. Confessarij quoq̃;, ad Confessiones audiendas, à Ianitore vocati, illicò abeant: tardantesq̃; aut ire detrectantes, pœna inobedientiæ, irremissibiliter puniantur.

X. Fratres verò Laici, celebraturis seruituri, eorum ad Sacristiam aduentum anteuertant, vocatiq̃; ad seruiendum Missæ, protinùs veniant, recusantes autem, quando nullo alio negotio à Superiore iniuncto sunt impediti, vel etiam cum vocante contendentes, probationis Caputium per quinque dies deferant, humiq̃; sedentes iis diebus prandeant, duabusque Ferijs Sextis pane tantum, & cereuisiâ vtantur.

XI Cum autem longè sit cõsultius, vt Religiosus aliquid sui iuris relaxet, quàm quòd Superiorum suorũ ( qui DEI Præ-

potentis, & vicem gerunt, & personam sustinent, & causam agunt) Sententias non vereatur; ideo nunquam Fratres nostri cum suis Superioribus, minùs etiam iustè, minusq; discretè eos tractantibus, aut vexantibus, irreuerenter contendere, præsumant.

XII. Fratres autem cum suis Superioribus tam Prouincialibus, tam Localibus, tam cum Guardianis, siue Præsidentibus quàm cum Vicarijs, proteruè domi, siue foris contendentes: vel eis defectus aliquos exprobrantes, si admoniti resipiscant, & culpam recognoscant, disciplinam spatio vnus *Miserere* communis refectiois tempore sibi inferant, & linguâ extentâ, pavementum Refectorij in modum Crucis lingant.

XIII. Contumaces autem vt resipiscant, per quindecim dies in Cella includantur, non egressuri, nisi ad Sacrum in secretiori loco audiendum, & ad Refectorium; vbi illis diebus humi sedentes, reficiantur, euntibusq; Fratribus ad gratias post comestionem, humi ad ostium Ecclesiæ prostrati iaceant, dum Fratres transeunt, & exeunt: interimq; nemo illos conueniat, nee alloquatur, & vice versâ sub pœna arbitraria, ac insuper alijs quindecim diebus, nouissimum in Refectorio, & Choro locum occupent.

XIV. Cum ad conseruandum Ordinem, decentemq; officiorum tam Ecclesiasticorum, quàm domesticorum dispensationem, requiratur assidua Superioris cura, & meditatio, nè quid ab Officialibus malè agatur, committaturq; in Fratres, siue in externos: idcirco cuncti Officiales moderationi, & dispositioni Localium Superiorum sint subiecti. Quicumque autem Officialium dispositioni Superioris parere dedignaretur, vel quicumq; talem dispositionem ad Locales Superiores non spectare, per summam proteruiam iactaret: disciplina flagella in Communitate, spatio vnus *Miserere* sibi adhibeat: paxilloq; more freni ori imposito, sub tempus prandij genuflectat. Contumax autem, vt resipiscat, vltra prædicta, per dies quindecim, diuersis arbitrarijs mortificationibus, ad resipiscentiam disponatur.

XV. Et

## STATVTORVM CAPVT I.

XV. Et quoniam nimia præsumptio, non finit aliquos in Prælatis ea considerare, secundum quæ Superiores sunt, & propter quæ erecti sunt vt Capita; Sed ea duntaxat patitur in Prælato spectari, quorum ratione Prælatus est Subditorum confodalis, & quasi vnus ex eis, eaq; malignitas nimiae familiaritatis, irreuerentiæ, contemptusq; Superiorum est causa: idcirco curent Superiores, vt in gubernandis Subditis, ita beneuolentiâ & charitate vtantur, quod salua conseruetur eorum authoritas. Subditi autem nullo modo defectus, aut æqualitatem, sed Personam quam sustinent in suis Superioribus suspiciant, & reuerentur. Iunioresq; Laici vsq; ad decennium, Clerici vsq; ad Sacerdotium, cum suis superioribus genuflexi loquantur, transeunteq; Superiore, non aliud serio cogitent, nisi quod ille proprius, & immediatus eorum sit Pro-Christus.

XVI. Quod si verò quispiam suæ Professionis immemor sponsonem, & Religionem voti principalis aded abijceret, quod Patri Commissario, aut Visitatori Generali, inobedientem se exhibere non vereretur, is semestri spatio incarcerationetur, aut etiam grauius ad Patris Commissarij arbitriū puniatur.

XVII. At si ausu amplius temerario (quod DEVS auert) eidem rebellis fuerit, aut dictis eum iniuriosis, vel irreuerentibus affecerit; is vltra prædictam carceris poenam liberatus, per aliud semestre, Caputium probationis deferat.

XVIII. Quicumq; etiam Patri Ministro Prouinciali inobediens, rebellis, vel etiam irreuerens fuerit, poenis supradictis, à Patre Ministro puniatur.

XIX. Inobediens autem, vel rebellis Patri Guardiano, vel in eum, aut etiam Vicarium, & quemuis alium Prouinciæ Patrem iniurius; iisdem poenis, iuxta exigentiam delicti, à Patre Guardiano coerceatur.

XX. Qui poenitentiam per Localem, vel alium maiorem Superiorem, ritè iniunctam subire renuerit: à Superiore etiam Locali, de consilio, & assensu loci Discretorum, trinâ

etiam monitione non præmissâ, in carcerem trudi poterit.

XXI. Cum autem vnum de ijs, quæ Religioso maximè sunt timenda, sit illud, ne Superior potius subditi voluntati obsecundare cogatur: ideò districtè præcipitur, vt quæcunq; Officia, siue honorifica, siue laboriosa, & vilia Fratri cuiuspiam iniunguntur, cum promptâ suæ voluntatis resignatione Superiori obediat. Quicumq; igitur, sine causâ legitimâ Diffinitorio probatâ, Officium aliquod Superioritatis, vel etiam dignitatis, aut cuiuscunq; functionis suscipere, & obire recusa-uerit, ad suscipiendum illud compellatur. Quod si pertinaciter & proteruè Officium respuerit, poenâ inobedientiæ plectatur.

XXII. Cum autem Vicarij locorum, curam & regimen habeant Conuentuum; Guardianis subordinatum, eorumq; sint Coadiutores: ideò declaratur, quòd Fratres Laici à curâ etiam Vicariorum exempti, nequaquam ab obedientia eorû eximantur, cum hoc ubiq; seruetur. Qui proinde illis obedire noluerit, pro qualitate inobedientiæ ad arbitrium Superioris puniatur.

## CAPVT II.

*De modo recipiendi ad Ordinem Nouitios; eorumq; educatione, & Professione; ac de forma & qualitate vestimentorum, & de iunioribus Professis.*

*De receptione, educatione, & Professione Nouitiorum.*

### § I.

I. **P**ATER Minister Prouincialis, cum Diffinitoribus, quibus Nouitiorum receptio ex munere incumbit, de humilitate potius, mortificatione, disciplinaq; ac Spiritu conseruando, magis, quàm de numero solliciti, paucos potius, eosq; selectos, & exactè probatos ad Nouitiatum admittant; prout NICOLAUS III. in Decretali Exijt art: 10. serio.

feriò cauet illis verbis: Ne indifferenter omnes admittantur ad Ordinem, sed illi tantùm; qui Suffragantibus eis, literarum, idoneitate, vel alijs circumstantijs, possint vtiles Ordini esse, sibiq; per vitæ meritum, ac alijs proficere per exemplum.

II. Ac in primis recipiendi ad Ordinem, examinentur, an ab omnibus maculis & criminibus probrosis, à quibus Bulla SIXTI V. vult eos esse exemptos, sint immunes, & liberi: quod nimirum non sint, extra Matrimonium nati, nec vnq̃ fuerint criminosi, vt potè sicarii, prædones, perduelles, aut alio quouis crimine notati, neq; aliquando Regno pulsi, & proscripti, areq; alieno facultates suas excedente, non sint grauati, nec reddendis ratiocinijs, obnoxij. Qui autem vel vnica ex præmissis labe, aut maculâ inficeretur, ad probationis habitum, nequaquam admitti potest; quemadmodum, & illi, qui ex Nouitiatu quorumcunq; maximè Regularium, Reformatorum, sunt electi.

III. Quamuis autem in Regno Poloniae, infame hæresis crimen impunè grassetur; nepotesq; & Filij hæreticorum ad Ordinem recipiantur: hi tamen tanto diligentius sunt examinandi. An aliquâ doctrinâ à fide Orthodoxa alienâ, imbutantur. Ex Iudæis autem, & Hæresiarchis, aut quibuslibet alijs rogo traditis, proximam trahentes originem, ab ingressu Religionis arceantur. Est præterea indagandum, an recipiendi, ad Ordinem, exortes sint Matrimonij; saniq; ac validi viribus, bonamq; habeant corporis habitudinem, & constitutionem, atq; omninò ad seruédum. Deo sint præpti, conditione liberi, neq; infamiâ civili laborantes non sint videlicet mancipia, apparitores, lictores, lixæ, haidones, &c. atq; si pro Clericis sint recipiendi, probentur; an expedire legant, linguam latinam calleant, ætatisq; annum sextum, decimum compleuerint; simulq; curandum erit, vt suscipiendi ad Clericatum, Parochorum Testimoniales de ætate, & de legitimitate opportunè procurent. Recipiendi verò pro Laicis, interrogentur, an Vigessimum annum exegerint, &

STATVTORVM CAPVT II.

trigesimum non exceſſerint, excedentes enim pro Laicis nõ recipiantur, niſi perſonæ eſſent inſignes, & ſpectatæ notæ.

IV. Quia verò in vaſtis hiſce Regionibus, ob grande Conuentuum interuallum, Iuuenem ad Ordinem recipiendum vnius examinis gratiã, centum quandoq; Milliaria Polonica conficere oporteret, quod nimis eſſet oneroſum, periculoſum, & obſeruatu fermè impoſſibile: Idcirco extra Capitulum, & extrã Congregationem, aut Conuoſationem, integrum erit Patri Miniſtro Prouinciali, cum duobus Diffinitoribus, & duobus Guardianis, vel Patre Miniſtro in remotis agente duobus Diffinitoribus Prouinciæ, & duobus Guardianis, Iuuenes ſelectos, probatos, & examinatos, ac de ſcientia, morum honeſtate, & bonã famã, à viris fide dignis commendatos, in Ordinem admittere. Concedente id NICOLA O III. in ſua prædicta Decretali illis Verbis: *Liceat Prouincialibus Miniſtris perſonas fugientes à ſæculo in Fratres* recipere. Vicarij verò Prouincialium Miniſtrorum, ex Officio Vicariæ licentiam ſibi hanc nouerint interdictam, niſi per Miniſtros eodem (quibus hoc committere Vicarijs & alijs licere decernimus) hoc iſtis Vicarijs ſpecialiter cõmittatur.

V. Ordinatur etiam, vt nullus vnquam ad Noſtram Reformationem admittatur qui in Ordine quopiam Religioſo, eſt profeſſus. Si tamen à Sacra Congregatione, vel à Summo Pontifice licentiam habuerit, maturé ponderatis tranſitûs rationibus, & adhibitã ſufficienti, de antea actã ſuã vitã, informatione, poteſt recipi, & toto anno, ſpiritus benè probari.

VI. Nouitijs porro ad habitum probationis idoneus reſpertus, principio ipſo ſit ſui accuſator, & priuſquam Nomen habitumq; mutet, Conſcientiam ſuam generali omnium peccatorum ſuorum confeſſione expiet; à quibus prout & à Cenſuris abſolui, atq; ab irregularitatibus, per diſpenſationem eximi poterit.

VII. Cum autem ex bona Tyronum in Nouitiatu educatione, ne dum tota deinceps eorum vita, verumetiam tota Refor.

## STATVTORVM CAPVT II.

ta Reformationis Conservatio pendeat; statuitur, vt Conuentus magis solitarij, & à concursu, frequentiaq; secularium, magis liberi tanq̃a mentis quieti & recollectioni magis opportuni, pro Nouitiatu destinentur, in quibus tantummodo & non alijs, Nouitij collocentur.

VIII. Statuitur etiam, vt in Capitulo, vel Congregatione Prouinciali, Magister Nouitiorum, à Patre Ministro Prouinciali de Diffinitorum Prouincialium consilio, & assensu, ille deligatur, & instituat, qui morum grauitate, vitæ integritate, ac zelo, cultuq; Strictioris obseruantia, cunctis præluceat, sitq; maturus, prudens, sagax, industrius, & eximie discretus.

IX. Vt verò Nouitij, toto tyrocinijs anno mentem habeant stabilem, quietam, & securam; necesse est, vt erga gradum, Vocationem ad Religionem suam, tanquam præ omnibus alijs sibi meliorem, suaq; indoli, ac moribus congruentiorem, ac conuenientiorem, summum concipiant affectum.

X. Magister Nouitiorum, summam in eo ponat operam, vt Nouitij toto probationis anno, in exactâ vitæ communis obseruantia, sint quam exercitatissimi, spontaneæ autem & supererogatoriæ, siue deuotiones, siue Mortificationes, non facile Nouitijs concedantur.

XI. Vt autem Nouitij teneri, adhuc in Schola Virtutis, grauioribus solidentur disciplinis, Magister Nouitiorum curet magnòperè; ne quid profectui Nouitiorum, vel absit utile, vel adsit inutile.

Nihil proinde Nouitij habere secum permittantur, quod eorum mentem à DEO auellat, indeq; ea ipsa quibus indigent, nè eorum singulari teneantur amore, Nouitijs interdum adimendo, alia viliora concedendo, eorum Obedientiam, & resignationem, ad perfectionem certissimum medium, probet Magister, & exerceat.

XII. Deinde verò curet diligenter Magister Nouitiorum, vt Nouitij in orando, laborando, conuersando, & Spiritualiter di-

ter dimicando, sint exercitati. Laici quoquè Nouitij omnes, omnino artem coquendi, sine discriminè addiscant, & de quindena, ad quindenam, à Coquinario exerceantur, vt si necessitas còegerit, emissâ Professione, in Conuentibus, huiusmodi munus congruè obire valeant.

XIII. Magister Nouitiorum summam det operam, vt modum Mentalis Orationis, fructuosè instituendæ Nouitijs declaret, qualemq; in ea profectum faciant, & quem fructum ex ea reportent, sagaciter exploret.

XIV. Modum quoquè religiosè laborandi, studijs Spiritualibus vacandi, Officia, & Ministeria Chori, Sacristæ, & Cõuentûs obeundi, vestimenta resarciendi, Sandalia consuendi, libros ligandi, Fratres Nouitij, doceantur.

XV. Fratres Nostri, Religiosam humanitatem, morumq; temperiem, ex interna animi sinceritate, conscientiaq; puritate manantem in omni actu, & conuersatione, domi forisq; exhibeant, quæ ipsos pæatos & tranquillos, ac mortificatos, simulq; suaues, faciles, placidos, & affabiles, omnibus demõstret, neminemq; offendat, sed omnes ædficeret. Cuius quidem comitatis, & vrbanitatis Religiosæ quia Sanctus Bonaventura, Doctõr Seraphicûs, in aureo illo Libello, qui Speculum Nouitiorum inscribitur, Regulas omnibus numeris absolutas tradidit: Ideircò præcipitur, vt hunc Libellum, Nouitij, crebrò, & attentè legant, in eumq; vsum nuper impressum, singuli illum habeant, atq; ad normam, & regulas, in ipso præscriptas orent, psallant, flectant, incedant, dormiant, comedant, inter se, & cum sæcularibus, cõuersentur; exceptis paucissimis in Ordinario Prouinciæ expressis, nullasq; vnqã, quantumlibet paruâs, morum & conuersationis regulas, aut defectus, contemnunt; ne sensim ad grauiora progrediantur.

XVI. Præcipuè verò moneantur Nouitij, ne viribus suis, suoq; arbitrio, & industriæ fidant; sibiq; de externâ austeritate blandiantur, verùm vt animi ægritudines resecare, virtutesq; internas ac imprimis humilitatem, decus, & custodem



dem omnium virtutum, continuâ exercitatione augere contendant; in quem finem, singulis quibusq; mensibus, vnicuique Fratrum, singularem Virtutem, ad sectandum, Magister præscribat, singulisq; diebus, de singulorum in illa virtute profectu, examen faciat.

XVII. Huic autem tam operoso mortificationis ac Virtutum exercitio, vt Nouitij totos se deuoueant, nunquam, nisi graui cogente necessitate, extra Nouitiatum mittantur; emergente autem causâ inenitabili, Nouitius non mittatur, nisi cum graui, maturo, & exemplari Professo, cuius interim directioni, & moderationi, Nouitius in omnibus pareat.

XVIII. Quod si tamen Nouitium, infra probationis annum, ob ægram valetudinem, aut aliam æquè cogentem causam, in alium Conuentum secedere, & in eo semestri spatio demorari contigerit; Suffragia illius loci, pro tali Nouitio, ferantur, quorum, si maior pars illi defuerit, ex ordine dimittatur.

XIX. Nouitij quoq; toto probationis anno, studijs, aut exercitijs literarijs, vacare non poterunt, Presbyteriq; suscepti, Confessiones excipere, & prædicare nunquam permittantur. Conuersationes, non cum sæcularibus tantum, verum & cum Professis Fratribus, sunt Nouitijs omninò interdictæ, nisi Superiore Locali, aut Magistro annuente, & assistente.

XX. Professi autem Nouitios clam, siue palam alloqui, vel cum eis in secretis latibulis, aut in cellis obseratis, conuenire præsumentes, humi, communi refectiois tempore, in pane, & aqua, ieiuent.

XXI. Professione Nouitij imminente, quo clarum Nouitiorum perseverandi propositum sit plenè, totaliter, & spontaneum, ac liberum; nullus Fratrum audeat Nouitium precibus, & promissionibus, modisq; consimilibus ad professionem emittendam, inducere; contrariumq; facientes, disciplinæ flagella, communis refectiois tempore, sibi adhibeant, humiq; prudentes, sedeant.

XXII. Pariterq; vt Nouitij Professio, ex parte etiam recipientium, sit vsquequaq; vltronea, non præsumat Pater Provincialis, aut Pater Guardianus, vel Novitiorum Magister; aut alius quicumque; Fratres Nouitios ad Professionem recipiendo jus Suffragandi habentes, à Suffragijs per subordinationem directam, vel indirectam, auertere; vel è contra, modis indebitis, ad Suffragandum inducere. Quod artificium tunc exempli gratiâ tentaretur, quando Pater Provincialis Minister, ad hunc effectum, Nouitium, de vno loco, ad alium transferret; huiusq; Ordinationis transgressor, suo Officio priuetur.

XXIII. Caucant etiam Fratres cuiuscunque sint gradus, & conditionis, ne se distributioni, erogationi, aut dispositioni, facultatum ad Nouitios spectantium, etiam consultorie immisceant; verùm totum illud, quo ad hoc, ad amissim, obseruetur, quicquid CLEMENS V. in suâ Decretali, circa hoc determinat; contrauenientes autem; si sint superiores, Officijs priuentur; subditis verò, pœna proprietarij irrogetur.

XXIV. Adhibendo autem rationem, & præseruationem, difficultatibus in Professione Nouitij emergentibus, præcipitur; vt infra annum probationis, singulis quibusq; quatuor Mensibus, Fratrum iudicium requiratur: ita, vt prima, & secunda, disquisitio, fiat oretenus, tertia autem, per vota secreta. \* Porro decernitur, quòd Nouitius, qui non habet, vltra medietatem, Suffragiorum Communitatis, statim debeat expelli, secundùm Decretum INNOCENTII XI. neque sit in arbitrio Provincialis, illum retinere: & hoc tam pro primâ, quàm secundâ, & tertiâ vice, quibus sumuntur suffragia.

XXV. Nullus porro Nouitius ad Professionem emittendam admitti poterit, nisi memoriâ tenuerit doctrinæ Christianæ rudimenta, Regulæq; præcepta, & vltra hoc, si Clericus fuerit, nisi Diuinum Officium per se, iuxta Rubricas Breviarij Romani, ordinare sciuerit.

\* Statutum Aracalitanum 1679. n. 19.

Nouitiorum autem Magister, qui prædicta Nouitios docere neglexerit, vel ad Professionem hæc omnia ignorantem admiserit, ad arbitrium Patris Provincialis, poenâ condignâ afficiatur. In quo quidem examine, si Nouitius idoneus, & sufficiens repertus fuerit, illæ confestim. omnibus omnino facultatibus & provisionibus renuntiet, ipsoq; Professionis die peccata sua integrè confiteatur, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, deuotissimè suscipiat.

XXVI Peractâ autem Professione, iuxta formam consue-  
ram, & in facie totius Communitatis, ante summum Eccle-  
siæ Altare, actionis tam solemnis; memoria in libellum ad  
hunc usum deputatum referatur, nomine, & ætate profiten-  
tis, dieq; , & Mense, ac anno professionis expressis, triumq;  
ad minus Fratrum, Professioni assistentium, subscriptionibus  
adiunctis.

### *De Modo & Forma Vestimentorum.*

#### *§ II.*

I. **C**Um Habitus Religiosus, præcipuum Instituti  
Regularis signum præferat, veramq; eius ab alijs  
discretionem, & speciem monstret. Statuitur, vt  
omnes Fratres habitu vniformi vestiantur, qui constet ex pâ-  
no vili, rudi, plebeio, & hordelato; ita, vt vnum filum sit fu-  
scum, & aliud semialbum, aut griseum. Quocirca Pater  
Minister Provincialis; invigilet, vt Fratres pannifices, vniformis  
coloris pannos conficiant, procuretq; vt Magistri alios  
in arte ista accuratè, & fideliter instruant.

II. A quâ vniformitate, ne vnquam recedatur, ordina-  
tur, vt quicumq; Fratrum cuiuscunq; gradûs, & conditionis,  
habitum à Patre Ministro Provinciali non approbatum reti-  
nere, in eoq; incedere præsumpserit, illo habitu priuetur.  
Minister verò Provincialis, pannum in vilitate vniformem,

suppeditare per se, vel per Guardianos, non prætermittat.

III. Quo facilius pannus quoad vilitatem, & colorem, vniformis toti Prouinciæ subministretur; Officinæ pannificæ, pro conficiendo panno, in Conuentibus huic operi accommodatis erectæ, omni apparatu necessario instruantur, & beneficio pecuniariæ Contributionis, à singulis Conuentibus; iuxta taxam in Capitulo præscribendam, modis licitis collectæ, ad Officinam tempestiuè transmittendæ, conferuentur. Lana verò quibus in locis mendicatione, comparari potest, diligenter opportunis temporibus vicatim, & oppidatim mendicetur, tempestiveq; subministretur. Guardiani verò lanam procurare negligentes, ad arbitrium Provincialis puniantur.

IV. Ne autem vestimenta Fratrum, quoad formam etiam discrepent, ordinatur, vt ipsiusmet habitûs longitudo, sit tanta, quod habitus succinctus, absque collectione supra cingulum, pedum summitatē tangat: latitudo verò habitûs proportionaliter ad corpulentiam tanta sit, quòd habitus, à parte anteriori bis tantum plicetur, pariterq; à tergo duas tantum rugas habeat: manicarumq; longitudo quidem primam manuum iuncturam non excedat; latitudo verò tanta sit, vt manus vtraq; eximi, & imponi liberè possit.

V. Tunicæ interulæ, habitu & angustiores sint, & breuiores. Caputium habitûs ita efformetur, vt capiti impositum, frontem operiat, eiusq; latitudo iuncturas humerorum non attingat, pars verò acuminata tergo tenus propendens, à cingulo octo digitis distet, parsq; anterior formâ orbiculari, ab vno humero, ad alterum reducatur.

VI. Mantellum seu palliolum, quod singulis Fratribus conceditur, ita sit longum, vt genua tangat, nec amplius protrudatur. Habitus verò Fratrum, chordâ grossâ ex Canabes contortâ, sint præcincti.

VII. Cum autem Religiosum habitum exuere sit periculosum, vt probant lugubres experientiæ: Nullus Fratrum, absq; Habitu, chordâ, & femoralibus, sopori se dare audeat;

Omnes.

Omnesq; uniformiter supra rudem stramineum sacco cubent: Professiq; de die, & de nocte assutum caputium habeant. Contrafacientes, disciplinae flagella, in Cōmunitate sibi adhibeant.

VIII. Quia verò habitus Fratrum nudipedum, ex mente Seraphici Patriarchæ Nostri non nisi operimentum, & fomentum necessitatis esse debent: Statuitur ne Fratres sani, Vdones, aut tibialia truncata, calceos, vel crepidas, pileosq; hyemali tempore deferre præsumant: Galeris quoq; æstivo tempore, non nisi stramineis utantur.

IX. Nemini etiam ad usum concedantur sudaria, manilia, aut alia quæcunq; liuteamina, stropholis, & femoralibus exceptis, quæ singulis septimanis, vel tempore magis opportuno, cunctis singillatim Fratribus distribuantur. Transgressores autem prædictorum, huius communis refectiois tempore, in aquâ & pane ieiunent: illis interea quibus vsu sunt gestamentis, ex collo eorum pendentibus.

X. Nostri porrò Reformati, memores admonitionis, & benedictionis paternæ, in vili, pauperrimo, & frustis panni refarciato habitu incedere delectentur: eâ tamen vicissitudine, ut æstivo tempore habitus attritos, & frustis panni refarcitos deferant: ineunte verò Novembre, alios viles quidem; & pauperrimos, magis tamen grossos, ad frigusq; tolerandum conducibiles ex communi vestiario reassumant: in quem finem, in omnibus Conventibus, commune vestiarium mutatorijs, & alternatiuis habitibus refertum habeatur; cuius cura, ac habituum opportuna distributio, & munda conferuatio, ad Fratrem Sartorem, vel alium, à Patre Guardiano deputatum pertinebit: pariq; ratione, cura mundandi, & lavandi strophiola, ac femoralla ad vestiarium, vnâ cum Fratribus Junioribus, alijsq; legitimè non impeditis, iuxta Superioris voluntatem spectabit. Strophiola tamen secularibus Ordini Nostro addictis ad lauandum possunt dari, cum scitu, & consensu Superioris Localis.

XI. Pater autem Minister curet singularissimè, ne hæc alternatiua vestiendi ratio præclarum sanè paupertatis, in cõmuni fomentum, & paupertatis in particulari nobile exercitium, negligatur, ex cujus fortè neglectu proprietas in Reformationem irreperet.

XII. Statuitur, vt Fratres Nostri vniformiter radantur, & Laicorum quidem vertex capitis profundè tondatur, occiput tàmè orbiculatim super auriculas radatur. Caput verò Clericorum, & Presbyterorum, Christi sertum spineum gestantis referentium, ita in vertice, & occipite radatur, vt coronæ circulum præferat, qui in latitudine duos digitos non excedat; ab auriculis autè, vno, vel altero circiter digito distet.

Fratres igitur tam Laici, quàm Clerici, & Presbyteri, vnâ omnes in æstate, ad minùs intra tres septimanas, in hyeme autem de mense in mentem radantur. Fratres autem, ab hac rasura communi se retrahentes, rasuramq; in aliud tempus temerè differentes, disciplinam faciant, & radi compellantur: Nunquam tamen Fratres, sine habitu, aut Caputio, radantur.

### *De Nouellis Professis.*

#### § III.

I. **P**ostulat Status Religiosæ perfectionis, vt Nouitij mentem stabilem, & personam Professorum, præferant. Professi autem feruorem Nouitiorum nunquam dimittant. Ea propter ordinatur; vt Professi Nouelli, tam Laici, quàm Clerici, integro post Nouitiatum triennio, vel ad arbitrium Patris Prouincialis exercitia, & mortificationes Nouitiorum continuent: Guardiani verò dissimulantes, quinquennio ad Officium non assumantur, nisi necessitas aliter dictauerit.

II. Speciatim verò Clerici, non illo tantùm triennio, sed toto Clericatus tempore. Laici verò integro decennio, singulis

singulis diebus, æquè ac Nouitij, communis refectionis tempore, ad culpam recognoscendam sint obligati, æquè ad faciendam in Refectorio Ferijs sextis singulis disciplinam.

III. Culinæ utensilia, Professi omnes Clerici, & Laici, eluere tenebuntur; Hebdomadarius autem assistat adiuuando, & vel maximè, recitando solitas preces, & cum modestia, & merito, huiusmodi actus humilitatis, perficiatur; & nullo modo admittantur Sæculares in Conuentibus, maximè ad exercendum functiones, quæ à Laicis in omnibus Reformationibus fieri solent.

IV. Omnes Clerici, & privati seu simplices Sacerdotes, ad mensam legant, mensæ per ordinem inseruiant. Ea tamen Lege vt postquam Clerici, & Laici, prædicta ministeria respectiuè secundò repetierint, Sacerdotes eadem, vnà vice obeant.

V. Consortia ne dum cum sæcularibus, verùm etiam cum Professis Sacerdotibus sint Nouellis Professis, æquè, ac in Nouitiatu interdicta. Idemq; statuitur de Junioribus Laicis.

VI. Literas autem ad sæculares, aut Fratres, non nisi Superiore præcipiente scribere, & consignare poterunt: pariterq; & ab ijs consignatas recipere, & aperire nunquam eis licebit, sub pœnâ humi, in pane, & aquâ ieiunandi.

VII. Ordinatur præterea, ne Pater Prouincialis, Clericū quemcumq; ad Ordines promoueat, nisi testimonium de sufficienti doctrinâ, probisq; moribus, ac Religiosis, à Patre Guardiano, & Loci Discretis, habuerit. Neq; ad Sacrum Subdiacônatus Ordinem, Clericus promoueri potest, nisi tres annos integros in Religione compleuerit. Ad Sacrum verò Presbyteratus Ordinem, ante exactum in Religione sexennium, nemo promoueatur; promouentes autem sine graui & rationabili causâ, ab Officio suspendantur.

VIII. Nouelli Sacerdotes, anno integro secundùm probatam Religionis consuetudinem, curæ, & regimini Patris Vicarij subiaceant, omnesq; Clericorum functiones obeant, & mortificationes exercent.

IX. Nul-

IX. Nullus pro statu Laicorum, ad ordinem admissus, potest transferri ad statum Clericorum, nisi de licentiâ Capituli Generalis, idq; diligenti examine, & iudicio totius Diffinitorij Generalis, probatus dignusq; repertus. Quicumq; autem ad Clericatum, & Sacerdotium secus promotus fuerit, omni penitus Clericali, & Sacerdotali honore priuetur, Officiaq; Clericorum persolvere, non permittatur, atq; ad pristinum Laicalem statum totaliter reducatur; quemadmodum Constitutionibus Apostolicis disponitur.

Ne autem Laici in tam perniciosam incidant præsumptionem, vsus quorumcumq; librorum, Laicis interdicitur, Regulâ duntaxat exceptâ, & aliquo Libro Spirituali, vernaculâ linguâ.

*De Apostatis.*

§ IV.

I. **C**VM ex antiquo Regularium more, praxi, & constitutione, non illi tantum veri sint Apostatæ, qui Sacram Sodalitatem, & Fidem Orthodoxam deserentes, ad Hæreticos deficiunt, & transfugiunt; verum etiam, omnes illi Obedientiæ contemptores, Apostatæ reputantur, qui repugnante, & inconsulto, vel inscio Superiore ex Conuentu recedunt, idq; siue habitum Religiosum abijciant, siue retineant, clam, vel palam exeunt, Fratrem Consocium, & Apostatæ consortem habeant, vel non habeant, aut quocumq; prætextu, animo etiam superiores accedendi, Cōuentum deserant; Ideirco præcipitur, vt omnes isti, tanquam Apostatæ & filij Belial, tractentur, & puniantur.

II. Quocirca, vbi primum quempiam é Conuentu recessisse constiterit, eum Superior Localis tempore refectionis communis immediatè sequentis, excommunicatum declaret, & denuntiet, confestimq; Patrem Ministrum de hoc lugubri euentu, certiozem faciat.

III. Apo.



III. Apostatæ verò vltro reuertentes, vel per alios reduti, triduanâ, vel pro qualitate, & prolixitate Apostasiæ, diuturniori carceratione macerentur, exactoq; carcerationis tempore, incarceratus adductus ad Refectorium, in communi Fratrum præsentia, disciplinæ flagella spatio vnus *Miserere* sibi adhibeat, statimq; per Superiorem, iuxta formam cõfuctam, ab Excommunicatione absoluat, & absolutus communis refectiois tempore, humi in pane, & aquâ ieiunet, & postea quidem habitum reassumat, ius tamen præcedentiæ, respectiuè seu conformiter ad suum statum, anno integro amittat, & per sex menses, probationis caputium deferat.

*Forma (autem) Absolutionis Apostatæ hæc est :*

**A** Postata, peractâ vt supra Disciplinâ, Per Psalmum *Miserere* Superior dicat: *Kyrie eleison*, cæteris respondentibus *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, & dicto *Pater noster*, sub silentio, intelligibili voce, sequentes versus dicantur, cum suâ Oratione.

ψ. *Et ne nos inducas in tentationem.* R. *Sed libera nos à malo.*

ψ. *Saluum fac seruum tuum.* R. *Deus meus sperantem in te.*

ψ. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* R. *A facie inimici.*

ψ. *Domine exaudi orationem meam.* R. *Et clamor meus, &c.*

ψ. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum Spiritu tuo.*

O R E M V S.

**D** E V S, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum N. quem Apostasiæ sententia ligat, miseratione tuæ pietatis absoluat. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Deinde idem Superior Apostatã absoluat sub sequenti formâ.*

Authoritate Domini Nostri I E S V Christi, & Beatorum Apostolorum, Petri & Pauli, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Prælatorumq; Nostri Ordinis, mihi in hæc parte committã, ego te absoluo, ab hoc vinculo excommunicationis, quo teners,

D

neris,

neris, & ligaris per Apostasiam, & restituo te Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni Fidelium; dispensando tecum, in omni Sententiâ Irregularitatis, Suspensionis, & Interdicti, si quâ exinde innodatus teneris. In Nomine ✠ Patris, & ✠ Filij, & ✠ Spiritûs Sancti. Amen.

IV. Relapsus in crimen Apostasiæ, primâ vice, pœnam carceris, & præcedentiæ amissionem tempore duplo longiori sustineat. Secundâ verò in idem crimen relapsus, omnib<sup>9</sup> actibus legitimis, in perpetuum sit priuatus, nec potest restitui præterquam in Capitulo Generali, idq; nisi perseveranti probitate priorem infamiam absterferit.

V. Ut verò occasio apostatandi præripiatur: præcipitur, ne vnquam Pater Prouincialis, aut Guardianus, Apostatam quemcunq; recipere præsumat; verùm ad suam præsentiam, peruenientem incarceret, triduoq; carceratum, non alio, sed ad propriam tantùm Prouinciam continuò remittat; Superiore illius per literas de suo accessu, & recessu informato. Contrafacientes autem, suis Officijs destituantur.

VI. Fratres verò ad Patrem Procuratorem, Romam sine Obedientiâ excurrentes, pro solâ duntaxat apostasiâ, ab eo puniantur, pro alijs autem delictis sibi obiectis, aut confessis, non ibi, sed in suis Prouincijs, pœnas luant.

VII. Obtinentes Literas Obedientiales, à quibuscunq; Superioribus Maioribus, illas exequi nequeant, nisi post responsum acceptum à Prælato Prouinciæ, sub pœnâ apostasiæ; excipitur tamen, vtrobiq; casus vrgentis necessitatis, quæ iudicio Superioris Localis, & Discretorum dilationem non patitur; de quo iudicio ante discessum, è Conuentu, eundem Superiorem Prouincialem certiorem faciant. Talem porrò facultatem à Maiori Superiore obtinentes, nisi infra spacium duorum mensium exequantur: illâ deinceps vti extra notam apostasiæ non poterunt. In Prouinciam regressi, illico Patrè Ministrum de suo reditu certiorem faciant.

VIII. Præterea Fratres, à Superiore Locali, vel Prouinciali,

ciali, ad aliquam Civitatem, aut vicum, vbi extat domicili-  
um Fratrum, legitimè expediti, rectâ ad Conuentum prope-  
rent, & Superiori Locali se præsentent; eoq; annuente, ad  
negotia in Ciuitate, expedienda, reuertantur; In qua tamen  
Ciuitate siue Oppido, non licebit eis comedere, nec bibere,  
quantò minùs pernoctare, quocunq; etiam Consanguinitatis,  
vel affinitatis prætextu. Qui verò aduersus prædicta delique-  
rit, poenâ apostasiæ, vel inobedienciæ puniatur.

IX. Ad hæc firmitèr præcipitur, ne vnquam Localis Su-  
perior Fratribus ad maiores Superiores prouocantib<sup>9</sup>, & præ-  
textu Regiæ Nostræ, recursum ad Superiores indulgeat; li-  
centiam, vel testimonium ab ipso temerariè, & proteruè ex-  
torquentibus, verbo, aut scripto facultatem concedat; vnde  
etiam cum tali Obedientia, vel testimonio recurrentes, tan-  
quam apostatæ puniantur.

X. Fratres quoquè, licentiam habentes locum determi-  
natum adeundi, si datâ operâ non rectâ ad eum se conferant,  
vel ad aliquem locum alium diuertant, aut tempus reuersio-  
ni præscriptum, sine graui causâ à Superiore iudicandâ exce-  
dant, poenam apostasiæ promerentur.

XI. Vt verò Apostatæ, de facili deprehendantur, nemo  
ex aduenis intromittatur, priusquam Obedientiales Literas,  
per Ianitorem Superiori exhibeat. Graues tamen Regulares  
personæ, & de apostasia minimè suspectæ, à Ianitore intro-  
mittantur.

XII. Patres Guardiani, ne euagationi ansam præbeant, vtq;  
modum in missione Fratrum habeant; præcipitur, ne Guardi-  
anus extra limites suæ quæstæ, Fratres mittere præsumat, sub  
poenâ suspensionis ab Officio. Necessitate autem perempto-  
riâ emergente, de consensu Loci Discretorum, Fratres extra-  
dictos limites expediri poterunt, termino reuersionis rationa-  
biliter illis assignato. Ipsimet quoq; loci Superiores, raris-  
simè è Conuentu exeant: illis tamen vrgentissimâ de causâ,  
ad breue tempus secedentibus, Vicario ex Conuentu pedem  
efferre non liceat.

XIII. Nullus porrò in gremio, alienæ Prouinciæ incorporari possit, sine expresso Prouincialium vtriusq; Prouinciæ assensu, vel superioris Generalis licentiâ, idq; nisi prius in ipsâ Prouinciâ per annum commoratus fuerit.

### C A P V T III.

*De Diuino Officio, Oratione mentali, leiuinio, Ecclesiasticis Paramentis, De culparum recognitione, de disciplina, & de non equitando.*

*De Diuino Officio & Oratione Mentali.*

§ I.

I. **A**ggressuri Fratres Nostri preces illas, præ alijs potentiores, quæ ad imitationem Sanctorum Angelorum, coram Angelis Dei, & cum Angelis in Ecclesiâ alternis Choris à tota Communitate DEO Præpotenti persolvuntur, dignum, & æquum est, vt toto Orationis decursu, Supremam DEI Maiestatem suamq; extremam vilitatem, spiritali mentis intuitu, contemplantur. Ad quod faciliùs consequendum, toto quidem tempore Orationem antecedente, maximè tamen ante psalmodiæ initium, alieni ab Oratione cogitatus, ex abditis cordis, sunt excludendi, mentè per studiosam præparationem, ad DEVM eleuanda, & applicanda.

II. Audito itaq; primo campanæ pulsu, pro diurnis pariter, ac Nocturnis hõris, conuocante; illud omnes Fratres, legitimo non detenti impedimento, ad Ecclesiam, omnibus postpositis, festinent, chorumq; reuerenter ingressi, DEVM Præpotentem supplices adorent, terramq; ipsam Sacramentali præsentia consecratam, exosculentur; statimq; ad partem Chori transeant, ibiq; suo quisq; loco genuflexus, mentem in silentio, seriâ & affectuosâ præparet recogitatione, directione, & applicatione.

III. De-

III. Deinde, ad secundum, vel tertium respectiue pulsam, omnes vnâ consurgant, Officiūq; Diuinum, Hebdomadario inchoante, voce sonorâ, & concinnâ, alternis Choris, cum pausâ competente tractim persoluant. Inter psallendum autem, stantes cum religiosâ, & modestâ compositione permaneant, capite semper (exceptis frigoribus excessiuis) discooperto, parieti non approximantes, maximè cum dicitur Te Deum laudamus; Benedictus; Magnificat; Nunc dimittis; Nec genuflectant, dum in Missis priuatis, ad elevationem pulsatur. Qui autem prætextu ficti languoris, sudoris, algoris, in stando, aut capite aperiendo, se alijs non conformauerit, tanquam sensualitatis mancipium, ad cõformitatem seruandam, compellatur.

IV. Et quoniam psallentes non solùm, debent vitare causas, quæ ipsorum attentionem turbant, sed etiam eas quæ attentioni consodaliū impedimento sunt, præcipitur, vt vno Choro psallente, alius sileât, nullusq; indisciplinato strepitu, iustitatione, suspirijs, oscitationeq; somnolentâ, aliorum attentionem impediatur. Neque de Rubricis inter psallendum, controuertant, sed in ambiguis, iudicio Superioris acquiescât, sub poenâ disciplinæ in Communitate faciendâ: Vnde neq; prætextu corrigendi errantes, aut hallucinantes, quispiam, etiam Superior, aut Vicarius, in Choro vociferetur, sed silentio, & patientiâ, Sancta Sanctorum honorentur.

V. Caveant etiam Ianitores, ne sub Officio Diuino literas Superiori, aut quidpiam aliud consignent, neq; Fratres ex Choro euocent, & maximè tempore Orationis mentalis, nisi vrgens necessitas aliter suaserit. Vnde Confessarij, moueant suas ordinarias poenitentes, vt alio tempore accedant, ne illo Orationis spatio, euocentur. Pro alijs autem extraordinarijs poenitentibus, deputetur vnus Cõfessarius, qui per Hebdomadam eos successiue audiat.

VI. Officiū Diuinum, stans horis inuiolabiliter persoluetur, ita, vt Matutinæ preces, nunquam noctis medium præ-

ueniant, semperq; æstiuo pariter, & hyemali tempore, mediâ nocte persoluantur. Prima verò, æstiuo, æquè, & hyemali tempore, horâ sextâ dicatur; semper autem de nocte, lampas in dormitorio colluceat.

Officium Horarium Sacratissimæ Virginis Deiparæ, etiâ dum non est obligatorium, in Choro, æstiuo tempore, hyemali verò, in Refectorio recitetur; Solemnioribus Festiuitatibus Primæ, & Secundæ Classis, ac Ferijs Maioris Hebdomadæ, scilicet vltimis tribus exceptis. Quod quidem Officium, dum ex præscripto Rubricarum in Choro persolvere tenetur, in Matutino, & Vesperis, voce depressiori, absoluetur. In alijs verò Horis Canonicis, voce magis eleuatâ recitetur. Dum autem hoc Officium in Refectorio recitatur, Fratres Laici, non exerceant opera culinæ, sed stantibus Choristis, ipsi quoq; stent, aut genuflectant.

VII. Litaniz de Omnibus Sanctis post Laudes, hyemali tempore, æstiuo autem ante Orationem Mentalem: Lauretanz quoq; post Completorium, in Choro simul ab omnibus, Hebdomadario intonante dicantur.

VIII. Diuinum Officium, sine cantu omnino persoluetur, & nullo vnquam tempore Te Deum laudamus, aut Benedictus, Vesperæq; aut aliæ Horæ Canonice, cantentur. Missa autem Conuentualis, quantum fieri poterit, singulis Dominicis, ac Festiuis diebus, eodem tono, tractu, & vocis eleuatione, quâ Diuinum Officium huius Prouinciæ consuetudinariâ, celebretur; idq; si in Choro fuerint ad minùs quatuor Fratres, qui congruè satisfacere possint: Sin autem; consultiùs, ab huiusmodi cantu abstineant. Qui autem aduersus præscripta facere, aut moliri præsumperit, grauiter puniatur ad arbitrium Loci Superioris. Superiores autem contrauenientes, à Patre Ministro poenâ arbitrariâ, puniantur.

IX. Nullus, nisi actu legat, & prædicet, aliquo sui gradûs priuilegio gaudeat, nullusq; omninò prætextu alicuius priuilegij, dignitatis, vel Superioritatis, à seruitio Chori censeatur, esse im-

esse immunis; nisi pro tempore, quo in propriij Officij mune-  
re, actu fuerit occupatus; prout CLEMENS VIII. in Decretis,  
pro generali reformatione Regularium edictis, sanxit.

Quicumq; autem absq; legitimâ causâ, & impedimento,  
aliquam siue Diuini Officij, siue Orationis Mentalis, statutam,  
& determinatam horam prætermiserit, culpam in Refectorio  
recognoscat, & pro primâ vice, ad arbitrium Superioris puni-  
atur: alterâ autem vice, in eâdem Hebdomadâ, à Matutino  
præsertim, vel Oratione mentali se absentantes, genuflexi, re-  
fectionis tempore, ieiuent in aquâ, & pane. Consuetudina-  
rij autem, semel etiam singulis Septimanis, Matutinum negli-  
gentes, eâdem pœnâ afficiantur.

X. Confessarijs in magnâ pœnitentium frequentiâ, de  
licentiâ expressâ Guardiani à Choro abesse licebit.

Patres verò Concionatores, eo die, quo actu prædicant,  
immunes sint à seruitio Chori, pridie verò, & postridie, à so-  
lo Matutino; dum autem actu non prædicant, saltem Matu-  
tino, & Vesperis, & Mentali Orationi intersint. Patres Con-  
cionatores singulis diebus, Missæ sacrificium sub Prima cele-  
brent.

XI. Quo faciliùs deprehendi possit, qui Horis Canonicis  
intersint, præcipitur, vt omnes Fratres Laici, singulis diebus  
ad principium Matutini, atq; ad Te Deum laudamus, quan-  
do dicitur, vel ad Laudum initium, se in Choro præsentent,  
qui autem non comparuerit, tanquam esset absens, puniatur:  
Ad Vesperas etiam Festiuis diebus, Fratres Laici conueniant,  
& integris assistant. Alijs autem diebus, Cantico Magnifi-  
cat intersint. Ad Completorium item, in principio in Choro  
omnes compareant. Litanijsq; & Orationi Mentali semper.  
Fratres Laici adsint, nisi sint legitimè impediti, negligentes  
autem, disciplinâ vnius *Miserere* puniantur:

XII. Et quoniam par est, & valdè condignum, vt Frates  
nostri diebus Festiuis quibus etiam Religiosi liberiores in-  
seruitijs Diuinis sunt, deuotioni, ac rei Diuinæ perpetuè in-  
centi;

tenti: ideò statuitur, vt secundùm antiquam Reformationis Nostræ consuetudinem, Fratres Sacerdotes, Confessionum, exceptione non impediti. Fratresq; Clerici, & maximè Laici, solo coquinario excepto, omnibus tremendi Missæ Sacrificij celebrationibus, in Festiuitatibus saltem celebrioribus, assistât, & deuotè in Choro genu flexi intersint, maximè tempore æstiuo; ingens interim illud instituti Eucharistiæ Sacrificij beneficium, & misterium, magnò pietatis affectu, & sensu, recogitantes, omnibus Dominicis, diebusq; in populo festiuis, aut singulis Ferijs quintis, cuncti Fratres Clerici, & Laici, Sacramentali Confessione præmissâ, pijsimè communicent.

XIII. Officia Nostra propria, fiant secundùm Rubricas Breuiarij, vltimò correcti, & Decreta Sacræ Rituum Congregationis, nouissimè edita.

XIV. Quoniam verò mentalis Orationis exercitium, si ad praxim, & actionem dirigatur, vnicum sit remedium ad ægritudines animi, etiam inueteratas curandas, vel leniendas, virtutesq; inferendas: eapropter, vt laboranti Reformationi Nostræ, tantò celerius, & efficacius prospiciatur: ordinamus vt exercitia Spiritualia, omnes Fratres, in singulis Conuentibus, per ordinem obeant, non in angustiis cellulis, sed in capacioribus, vel in hypocaustis, siue per decem dies, iuxta Bullam Pij V. siue per octo, iuxta Bullam ALEXANDRI VII. Interim tamen Sacerdotes, & Clerici, ad Matutinum in Choro & alias horas persoluendas, conueniant. Laici verò, & Matutino intersint: & Missis inseruiant. Iunioribus autem Clericis, & Laicis adrendat Pater Vicarius in hoc exercitio, victus autem ipsorum, interea sit frugalior.

XV. Singulis diebus spatio vnus horæ, duabus vicibus fiat Oratio Mentalis communis; vnâ videlicet horâ post Matutinum, hyberno tempore; hoc est à principio Septembris, vsq; ad Dominicam in Albis. Æstiuo autem tempore, ante Prænam, ab horâ quintâ, ad sextam. Alterâ autem horâ, post Completorium, Oratio Mentalis instituat, & celsi-  
dra qui



dra quidem, tam æstiuo, quàm hyberno tempore, vertatur, dum Benedicamus Domino inchoatur. Ipso quoque Orationis mentalis exordio, Acolythus puncta meditationis, polonico idiomate prælegat. Quod quidem mentalis Orationis exercitium, Fratres etiam itinerantes, quoad fieri potest, non prætermittant.

XVI. Omnes Fratres ad orationem mentalem tenebuntur conuenire, nisi actu prælegendi, aut prædicandi, alijsq; Monasterij Officijs sint præpediti. Hortamur tamen in Domino, tam Lectores, quàm Prædicatores & quoslibet Officiales, vt cum per otium licuerit, ad orationem mentalem, vnâ cum alijs conueniant. Festiuis proinde diebus, Matutino, Missæ Conuentuali, exercitioq; tam matutino, quàm Vespertino, Patres Lectores curent adesse. Hortulani verò, non se absentent, ab Oratione mentali, quæ fit post Cõpletorium; quemadmodum & alij Fratres Laici, excepto Culinario. Canaparij proinde tempestiuè, ante Cõpletorium, mensam apparare teneantur.

XVII. Ultra duas horas Orationis mentalis, singulis diebus exercitium matutinum, seu Recollectio, hyberno tempore ante Primam, vno quadrante, instituat; in quo præcipuè generali intentione, omnia negotia, operaq; tam bona, quàm indifferentia, totius diei in DEVM offerantur. Vespertinum similiter exercitium, iuxta veterem & probatam totius Ordinis consuetudinem, dato signo post Collationem immediatè ante accubitum, examini Conscientiæ impendatur, quo absoluto, quinque *Pater noster*, & tot *Aue Maria*, expansis manibus, brachijs extensis, recitent deuotè ante Venerabile Sacramentum, addito sexto *Pater noster*, pro Pontifice concedente Indulgentiam.

XVIII. Patres Sacerdotes nisi legitimè impediti existant, singulis diebus celebrent, ac medium siue specialem Missæ valorem, tam domestici missi extra Conuentû, quàm forenses in Conuentu existentes, ad intentionem Superioris Localis  
E applij

applicent. Huiusq; Statuti vigore conceditur illis applicatio Missæ, singulis diebus Dominicis, iuxta propriam illorum intentionem, secundùm laudabilem plurium Reformationum consuetudinem. Finito autem missæ Sacrificio, singuli Sacerdotes, ad minus vno quadrante, mentali Recollectioni incumbant, cuius tamen recollectionis prætextu, nullus à publicâ psalmodiâ se subtrahere possit, sub pœna arbitraria.

XIX. Summo Pontifice ex hac vitâ sublato, quilibet Sacerdos, tres Missas absoluere tenebitur, quemadmodum tres etiam sunt dicendæ, decedente Protectore, totidemq; pro defuncto Patre Ministro Generali, seu Vicario Generali, sunt absoluendæ, & pro vnoquoq; Fratre propriæ Reformationis, ex hac vitâ migrante, tres Missæ ab vniuersis, & singulis Sacerdotibus, offerantur. Quare quo primùm tempore quispiam obierit, Loci illius Guardianus, in quo Fratrem illum ex hâc vitâ migrare contigerit, continuò Patribus Guardianis viciniorum Conuentuum, ex vtrâq; parte significet; horum autem quilibet contigui Conuentûs Guardiano significabit, & sic consequenter, alij sine mora proximioribus denunciarent Conuentibus, vt quam citius Officium charitatis defuncto debitum, pietate fraternâ exoluatur. Clerici verò pro vniuersis, & singulis Fratribus defunctis, dicant ter *Officium Defunctorum* integrum. Laici autem *ter centum Orationem Dominicam*, totiesq; *Salutationem Angelicam*, & toties *Requiem eternam*.

### De Silentio.

#### § II.

I. **C**VM Silentium, & taciturnitas religiosa Regulares Cedoceat, quid, quando, & quomodo, sit religiosè loquendum: idcirco seuerè præcipitur, vt omnes Fratres Silentium, tam in Ecclesia, quàm in quouis alio loco perpetuum debitâ obseruent distinctione. Æstiuo autem tempore, audito à prandij tintinnabuli pulsu, vsq; ad Vesperas:

ras: Vespertiq; à Recollectione Vespertinâ, vsq; ad diluculum, omnes Fratres cohibeant se planè à loquendo, in suasq; cellas secedant. Alijs autem temporibus, omnes Fratres in omni penitus loco, domi, forisq; cum religiosâ gravitate, submissè, & modestè loqui assuescant.

II. Comuni etiam refectionis tempore, omnes Sacrae & piæ lectioni, (quæ prima erit de Scriptura, secundùm Ordinem Biblicum, non autem iuxta lectiones quæ solent legi in Choro) sint attentissimi, strictumq; ad mensam & perpetuum silentium, ab omnibus inuiolabiliter, cum vigilantissima seruetur custodia, semperquè capite cooperto iuniores, & sani Fratres, omnes ad mensam sedeant. Nunquam proinde Superioribus Localibus fas est, cum silentio, aut lectione dispensare, prætextu etiam quarumvis Festiuitatum, hospitum, & bacchanaliorum, cum secundùm Sanctum Bonaventuram, turpè est vitium in mensa loqui; aut mussitare, idq; sub poena inobedienciæ, vel aliâ graui arbitrariâ, Localibus Superioribus per Ministrum infligendâ. Quod si tamen cõrigerit, personas sæculares admitti, ad conuescendum cum Fratribus, Superior ad eorum libitum, cum ipsis colloquatur, lectio tamen nunquam prætermittatur.

III. Præterea in Refectorio, hyemali tempore, omnibus planè horis silentium seruetur, exceptis diebus recreationis, quando tamen cæna habetur, finitâ illâ à Superiore interdum silentium dispensari poterit, cum ea cautione, vt non nisi honesta, & religiosa colloquia instituuntur. Post collationem autem hybernâ, nunquam silentium dispensetur. Cuius violatores in pane, & aqua ieiuent, vel disciplinam faciant. Omnes etiam ludicras & vanas repræsentationes, quæcunq; sint totaliter tempore bacchanaliorum prohibem; sub poena disciplinæ in Refectorio faciendâ; honestæ autem & religiosæ recreationes ultra octo dies, & Octauam horam non protrahantur.

IV. Caucant quoq; Fratres garrulorum contubernium,

& congressus: nullus proinde excepto Superiore, cellam alterius ingredi potest, in eaq; occlusa confabulari, contrarium què præcipuè iuniores præsumentes, graviter puniantur.

V. Cum autem solitudo, Mater sit silentij, Ordinatur, vt Fratres vniuersi, hyemali quoque tempore in cellulis hæreant solitarij, vt eo liberiùs actus virtutis, & pietatis clam exerceant, ideò omnes cellæ, si fieri potest quæ sunt supra Refectorium, benè præparentur cum foraminibus, vt calorem percipiant, & non facillè dimittant.

VI. Ad quem etiam Religiosi silentij cultum fouendum ordinatur, vt Personæ sæculares ad Refectorium, Officinasq; aut cellas, non admittantur; si tamen aliquibus accessus eiusmodi non posset negari, cum ipsis Superior tunc, aut alius ab eo deputatus, submisse loqui, & conuersari poterit.

VII. Personæ sæculares ad comedendum in Refectorio cum Fratribus, non admittantur, nisi consilio, & assensu expresso Loci Discretorum, quo tempore cum silentio, & Lectione non dispensetur. Quare prætextu etiam Primitiarum, sæculares ad comedendum cum Fratribus non inuicentur. Quando verò rationabiles ob causas personæ sæculares hospitio excipere Fratres tenerentur, præcipitur ne vltra triduum in Conuentibus commorentur. Contrarium facientes, Superioris arbitrio puniantur.

### *De Ieiunio.*

#### *§ III.*

I. **E**T quoniam dignitatem Conditionis humanæ, per immoderantiam fauciata, medicinali parsimoniâ reformari conuenit: Ordinatur, vt Ieiuniû ab Ecclesia, & Regula præscriptum, & consuetudine laudabili consensuq; totius Prouinciæ vnanimi sancitum, ab omnibus fideliter seruetur, nimirum Spiritûs S. & Sacratissimæ Virginis Deiparæ Assumptæ, & in his voluntarijs ieiunijs, butiro, condi-  
menti

menti loco utantur, interdumq; ad arbitrium Loci Superioris in Collatione caseus, aut quid æquiualeus, ministretur, nimirum frustum piscis, cum habetur, aut uinum aliquod ferculum, & mappula in mensa ponatur. Qui quidem modus abstinendi à carnibus perpetuò ab omnibus Fratribus domi, forisq; obseruetur, si sine molestia Benefactorum fieri poterit. Ieiunium autem Quadragesimæ Benedictæ, quæ incipit ab Epiphania, usquè ad continuos quadraginta dies, cum oleo absolvatur.

II. Ex vetusta probata piorum Catholicorum in hoc Regno consuetudine, singulis Ferijs Quartis, Fratres etiam peregrè constituti, à carnibus abstineant. Sabbatis uero diebus in Conuentibus, Cæna non datur; eorum tamen, qui actu legunt, & qui actu prædicant, habenda est ratio, etiam ieiuniorum diebus. Ex probata quoque totius Religionis consuetudine, nedum à carnibus, sed etiam à lacticinijs, biduo ante diem Cinerum, Fratres abstineant.

### *De Ecclesiasticis Paramentis.*

#### § IV.

I. **Q**uantum autem ad supellectilem Ecclesiasticam, pertinet; ordinatur, ut Patres Guardiani, Sacerdotes, alijq; quorum interest, cum summa, & exquisita diligentia procurent, ut ipsa primùm Ecclesia, paramentaq; Ecclesiastica, Calices, patenæ, corporalia, purificatoria, linteamina, Mappæ, Conopea, Chorus quoquè, ac libri Choro deseruientes, & alia ad obsequium cultumq; diuinum ordinata, ac præ omnibus, Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti Tabernaculum, tam intra, quàm extra, cum summo, & condigno, eoq; quod infinitam decet Majestatem, decore, conseruetur.

Semper è regione Tabernaculi, lampas de die, ac nocte colluceat, quæ ex vitro constet perlucido. Ostioli autem

clavicula, sit foris inaurata cum chordula serica, & flocculo serico rubeo.

II. Singulis diebus Dominicis, vel singulis Ferijs Quintis, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum renouetur, quod in pixide argentea, ex toto deaurata, reponatur. Sacrum quoque Extremæ Vnctionis Oleum recens, quotannis tempestiuè procuretur, vasculoq; argenteo vel stanneo reclusum, in loco decenti referuetur. Contrafacientes autem à Patre Provinciali Ministro, vel à Visitatore grauitè puniantur.

III. Inhibetur ne Sacras quispiam Ecclesiæ Reliquias, aut earum particulas alienare, transferre, aut surripere, præsumat, sub pœna Excommunicationis, ipso facto incurrenda, à qua absolui non possit, nisi in mortis articulo, quoad Reliquias Sacras totaliter restituerit, cõuictusq; de tali ausu, per vnum mensè carceretur & per semestre probationis caputiū deferat.

IV. Strictè inhibetur ne Paramenta ex serico quocunq; recipiantur, aut procurentur, velis calicum exceptis, quæ ex tela serici subtilissimi, ita formentur, vt quâquaversum, calicem operiant, sintq; sine auro. Casulæ siue planetæ, & alia paramenta, fiant ex materia vndulata, vel ex ea, quæ de pilis Caprarum Asiaticarum, elaboratur, & nisi ex puro, & simplici colore, & non variato, procuretur, aut dono recipiatur. Contrarium autem facientes aut molientes, disciplinam subeant. Antepedia, sint tam in colore, quàm in forma, vni-formia cum ligulis, seu fimbrijs amouibilibus, quæ extremitates Antepediorum exornent: super altaria, vnus saltèm statuatur gradus, in quo candelabra, Reliquiaria, & florum vascula, collocentur.

V. Vñs instrumentorum Musicorum, Fratribus nostris interdicitur, quemadmodum & cantus, tam figuratus, quàm choralis. Quicunq; proinde Organum musicum, in nostra Ecclesia fabricare moliretur, grauitè puniatur. Procurans autem defacto Machinæ organicæ constructionem, sententiam Excommunicationis incurrat.

Guardiani quoquè nostri studiosè procurantes cantus<sup>r</sup> musicos in Festis, grauiter puniantur. Si tamen aliquis Benefactor, vel ipsi musici sponcè prædictos cantus musicos à se procuratos, in aliqua Ordinis nostri solemnitate, fieri voluerint, & postulauerint, poterit eis talis deuotio concedi. Nunquam præterea campanæ plures duabus moderatis, procurètur, aut acceptentur.

### De Disciplina.

#### § V.

I. **I**lla admodùm salutaris consuetudo faciendi Disciplina nam tribus in vnaquaque Septimana vicibus inuolabiliter obseruetur; duret autem Disciplina spatio tanto, quanto recitari potest tractu lento *Miserere, De profundis, Christus factus est, Salue Regina cum tribus Collectis.* Æstiuoq; tempore fiat disciplina in Ecclesia finito Matutino, hyberno autem in Refectorio, Festis Primæ Classis exceptis. Diebus verò Sacræ Communionis disciplina per *Miserere* protrahatur; cum versu & Collecta de SSmo. Sacramento.

II. In triduo Hebdomadæ Sanctæ, ipso quidem die Parasceues spatio quinque *Miserere* & duorum *De profundis* cum Antiphona *Christus factus est.* & Oratione *Respice quasumus* disciplina continuetur. Sabbato autem & Feria Quinta spatio trium *Miserere* cum dicta Antiph: & Oratione perficiatur.

III. Tribus similiter in qualibet Septimana vicibus culpæ recognitionem, à Fratribus in Refectorio Collegialitèr congregatis, immediatè ante prandium Superior recipiat, ac vnumquemque pro qualitate vel mentura negligentia, charitatiuè & paternè corrigit, salutaremq; poenitentiam iniungat.

### De non Equitatione.

#### § VI.

I. Quo-

I. **Q**Voniám verò equitatio argumentum est non obsecurum corruptellæ Instituti Apostolici quod Reformati nostri æmulari tenentur: Ideò strictè præcipitur ut nullus Fratrum equitare, vel curru, vel lecticâ vehi, præsumat, nisi verâ pressus agritudine, aut sufficienti manifestâq; necessitate compulsus; cuius quidem causæ veritatem perpendere, & dijudicare ad Guardianos, Lociq; Discretos, pertinebit. Vnde, nec ipsi Superiores, in casu necessitatis, equitare possunt, nisi Discreti Locales id necessari-um censuerint.

II. Qui proinde sine cogente causa, & sine testimonio Discretorum, equitare ausus fuerit, Superior Officio suo privetur, subditus autem trium mensium probationis Caputium deferat. Casu verò occurrente, in quo copia Guardiani, & Discretorum non habetur, Fratres in tali casu equitantes, cumprimùm potuerint, rem totam Guardiano sincerè aperiant, ut ille factum probet, vel reprobet, reprobatumq; poenâ condignâ plectatur.

## C A P V T I V.

*Quod Fratres nequeant recipere pecuniam, nec per se, nec alijs medijs, & de recursu ad amicos spirituales, eorumq; conditionibus.*

I. **C**VM nihil sit Fratribus Minoribus perniciosius pecuniâ, nihilq; citius strictam (quam voverunt) paupertatem faciat exulare: Strictè præcipitur, ut nullus Fratrum in casu etiam necessitatis, nummos quoquo modo recipere, deferre, retinere, aut vbilibet deponere præsumat. Qui autem in tantum crimen prolapsus fuerit, poenâ proprietarij puniatur, hoc est, per dies quindecim carceretur, & sex mensibus Caputium probationis deferat. Relapsus autem, duplici poenâ, aut etiam gravius, pro exigentia delicti puniatur.

II. Neque



II. Neque verò sola pecuniæ per seipfos receptio, aut reseruatio, est Fratribus interdicta, verùm etiam, receptio per tertias personas, idquè non modo per personas ab ipsis Fratribus ad hoc directas, & surrogatas; verùm etiam, per personas ab ipso dante, aut de ipsius beneplacito substitutas, atque etiam per ipsummet Syndicum Apostolicum suppositas, nunquam Fratribus est licita. Quocirca cum non illi tantùm recipere ex iure, & consuetudine censeantur, qui in pecuniam ius dominij vendicant; verùm etiam illi, qui ius administrationis, seu Vicariam auctoritatem, pro libitu pecuniam Domini dispensandi obtinent. Idcirco seuerè Fratribus inhihetur, nè pro suo gustu, arbitrio, & libitu, pecuniã curent expendi, neque se ita circa pecuniæ dispensationem gerant, ac si vice Domini, seu erogantis, dispensationem illius alteri committerent, sed omnia faciant secundùm dispositionem dantis Benefactoris.

III. Cui sanè vitio, illi essent obnoxij, qui personas tales, ad recipiendum pecuniam, in casu licito, & debito, danti præsentarent, quibus Fratres ad alia peragenda auctoritatem dare solent, operâq; illorum in ministerijs quam plurimis vti consueuerunt. Pariterq; & illi, eundem incurrunt reatum, qui contra dantis intentionem, pecuniam expendi patiuntur, vel residuum pecuniæ danti non restituunt, pecuniamque ex parte Dantis indifferentem, deponi permittunt, Necnon & illi, qui rationem expensæ pecuniæ, a substituto exigunt.

Quicumq; proinde, prædictorum quidpiam commiserit, tanquam is, qui pecuniam moraliter recipit, puniatur.

IV. Vt autem occasio in his delinquèdi Fratribus præripiatur, præcipitur, vt in singulis Conuentibus, præter Syndicum Apostolicum, sic alius substitutus, conditione talis, quòd omnium iudicio non seruus, sed amicus, & Benefactor Religiosorum Mendicantium, censeatur.

Quem quidem solùm, & non alium, cum temporis Fratribus integrum erit nominare, & eroganti proponere, cùm

erogans eleëmoly nam illam, in Fratrum necessitates expendere per seipsum non posset, aut etiam cum serio id recusaret. Quicumque autem diuersum, ab isto nominaret, Guardianus suo officio priuaretur, subditus autem Caputio Nouitiorum probetur.

V. Caveant proinde Superiores, nè Syndicum etiam Apostolicum, eo casu nominent, & surrogandum Danti proponant, vitrò tamen ab ipso Dante Substitutus, gerat se oportet tanquam Fratrum amicus Spiritualis, non tanquam Procurator, aut Syndicus, cuius operâ iuxta Declarationem NICOLAI III. ad hoc duntaxat deseruiat, vt oblata Fratribus bona, quæcunque mobilia, vel immobilia, statui, & vsui Fratrum, non repugnantia, nomine Sedis Apostolicæ recipiat: Statui autem repugnantia, aut inutilia, nomine eiusdem sedis commutet, in res necessarias, vel diuendat, pretiumq; in veras necessitates Fratrum, expendat.

VI. Cum autem veri altissimæ Paupertatis sectatores, paucis ijsq; vilius debeant esse contenti; dent operam Fratres nostri, nè pro illis necessitatibus, quæ non simpliciter, sed tantum ad melius esse requiruntur oblatam pecuniam erogari, vel deponi permittant. Neque ad oblatam, aut depositam, apud Amicos Spirituales recurrant, nisi adsint causæ, modi, & cautelæ, hunc ad pecuniam recursum iustificantes, in Declarationibus NICOLAI III. & CLEMENTIS V. specificatæ.

VII. Vt enim recursus ad pecuniam sit licitus, necesse est, vt interueniat causa ad præscriptum Declarationum, qualificata, quæ nimirum sit vera, hoc est, non aliquo modo, sed simpliciter necessaria. *Secundo.* quæ sit præsentanea, vel saltem ingruens, ac de proximo se ostentans, & non sit solum possibilis, aur futura, quod ex natura, & conditione rei necessariæ est quandoq; pensandum. Cuiusdam enim rei necessitas ideo est imminens, quia brevi superveniet, vt necessitas olei, butiri &c. Aliarum autem rerum necessitas, ideo est tempestiuè imminens, quia non expenditur, nisi sensim, & grada-

& gradatim, vt pannus & fabrica, librorum impressio, & consimiles. *Tertio.* Quæ sit Fratrum propriæ utilitatis gratiâ.

*Quarto.* Quæ tunc occurrat, vel imminet, quando nulla extat indifferens pecunia, apud Substitutum, aut Syndicum deposita. *Quinto.* Quæ talis sit, vt citra iacturam sanitatis, temporis, ac maximè citra iacturam Observantiæ, commodè emendicari non possit.

VIII. Declaratur autem, quod recursus, & mendicatio specifica alimèntorum, aut medicamentorum, aliarumq; rerum, dans etiam occasionem expensæ pecuniariæ, non sit recursus ad amicos Spirituales, nec recursus ad principalem Dantem, neque recursus ad pecuniam, sed recursus ad Benefactorem, qui non pecuniam, sed res ipsas Fratrum vsui necessarias immediatè; elargitur.

IX. Ea porro facultas recurrendi ad amicos Spirituales, ex indulgentia quidem Regulæ, solis Ministris, & Custodib<sup>9</sup> conceditur: Nihilominùs, vigore Constitutionis præsentis, ad Guardianos etiam extenditur, vt & ipsi pro necessitatibus suorum Fratrum Conuentuum, ad præscriptum Declarationum NICOLAI III. & CLEMENTIS V. ad amicos Spirituales, licitum recursum faciant.

X. Quamùs autem ea sit ratio eleëmodynæ ex parte Fratrum indifferentis, quod emergente causâ necessariâ, licitum sit Superioribus ad indifferentes eleëmodynas pecuniarias recurrere: nulli tamen vnquam Superiori licitum est, directè, vel indirectè permittere, vt pecuniaria eleëmodynâ, ex parte Fratrum indifferentis, vitrò etiam de proprio motu deponatur. Licebit tamen offerentem rogare, vt occurrente verâ necessitate præsentaneâ, ad eum possint recurrere. Contrarium autem præsumens, Superior ab Officio deponatur. Subditus verò, per tres menses carceretur, & per tres alios Caputium probationis deferat.

XI. Vt etiam exactiùs Regulæ puritas custodiatur, renouatur sancta consuetudo, in principio Reformationis dignè

obseruata, cum magna piorum ædificatione, & Fratrum satisfactiõne, non esse consentiendum in depositionem pecuniæ, pro Missis præcisè celebrandis, sed insinuandum, Fratres pro huiusmodi eleëmofynis, contentos esse victualibus in specie, vel alijs rebus ad vsum necessarijs. Si autem largitor pecuniæ, expressè specificauerit, pecunias esse pro ordinario victu, vel rebus ad vsum ad præsens necessarijs: tunc Fratres poterunt tutè talem depositionem permittere.

XII. Cum verò in hisce Poloniæ Ditionibus, Fratribus Reformatis, pro carnibus, & piscibus, rarò oporteat ad pecuniam recurrere: Ordinatur, vt pro victu Fratrum, non ad Amicos Spirituales, sed ad Benefactores recursus habeatur, carnesque, & pisces, in propria specie ab illis postulentur, & medicentur; sine vlla molestiâ & importunitate Benefactorum; sicut & spontè oblata cum rationabili mediocritate acceptentur. Nunquam etiam recurratur ad pecuniam, pro vino emendo, quocunq; prætextu, excepto Sacrificio Missæ.

XIII. Distriçtè inhihetur, nè vnquã res aliqua mendicentur, animo & intentione eas distrahendi; vel in alias cõmutandi; contrafacientes, poenâ proprietarij puniantur. Quod si verò res huiusmodi intentione commutandi, non tantùm mendicentur, verùm etiam eadem intentione tribuantur; Commutatio earum non Fratrum operâ, sed ministerio Syndici Apostolici perficiatur.

XIV. Ne autem Fratribus passim ad pecuniam recurrere oporteat, summam dent operam Superiores, vt vniuscuiusq; statui, & conditioni, subministrentur res vere, & simpliciter necessariae, quæ scilicet altissimam nobisq; germanam paupertatem deceant. ita, quòd sicut in vestitu nostri Fratres non æquantur alijs Regularibus, in victu quoque, & in omni supellectili, alios non æmulentur, quo securiùs superfluitatem in numero, qualitate, & pulchritudine declinèt.

XV. Qui proinde quidpiam quantumvis pium, & sacrum, Imagines exempli gratiâ, membraneas aut argenteas, Coronas pre-

nas precatórias, Sacrarum Reliquiarum thecas, & similia, superflua, pretiosa, & curiosa, procuraverit, aut receperit, vel retinuerit, in pane, & aqua maceretur, ad arbitrium Superioris, vel Caputium probationis per dies quindecim deferat.

XVI. Laborent pro viribus Superiores, vt tenuis, & pauper vsus, non in amictu tantum, & sacrâ supellectili, verum etiam, & in victu resplendeat, ad quem sanè parcum vltim, licet non ex Regula, ex decentia tamen obligamur, vt obseruat CLEMENS V; in sua Decretali, ad interpretationem Regulæ adhibitâ.

XVII. Hora prandij ordinaria, ob quemvis prætextum, nunquam differatur, nisi in solemnitatibus, ob Ecclesiæ satisfactionem, nec permittantur Fratres in Refectorio diutius morari, dum manducant, sub prætextu parandi pitantiam, tunc à Benefactoribus oblatam. Quando tamen hora prandij esset protrahenda, Sacrista pro Officio pulsium differat, iuxta exigentiam coquinarij.

XVIII. Quamvis autem quæstus rerum ad victum, ad vestitum, & supellectilem spectantium superfluous, paupertatis Sanctissimæ sectatores vehementer dedecet: cum per eum paupertatem. eiq; cognatam penuriam Fratres subterfugere videantur. Quando tamen res aliqua in vno loco affluentes, in tanta copia offeruntur, vt de superfluo, & residuo necessitatibus aliorum Conuentuum talis rei penuriâ laborantium subueniatur. Tunc redundans huiusmodi rerum receptio, aut etiam provisio, licita est, & decentissima, dum modo autoritate fiat Superioris, nec intuitu recompensationis, extorquenda. Quia verò horum redundantium alimentorû charitativa communicatio, non est donatio, aut commutatio. imò nec per modum eleëmofynæ largitio, sed nuda concessio rei, ad egenos de iure poli pertinentis: Idcirco tam alimenta, quæ Fratres sibijpsis, spontè eo fine subtrahunt, quàm quæ ultra necessaria, ad sufficientem Fratrum refectioem, superflunt, licitè & laudabiliter pauperibus ad portam distribuuntur, & ad xenodochia remittuntur. E; XIX.

XIX. Ne autem familiam alere in Conuentibus nostris adigamur, seuerè interdicitur, ne iumenta quantumvis vilia, & abiecta procurentur, & in Conuentibus, aut alibi detineantur, exceptis locis, actualis fabricæ, vel actualis præparationis materiæ. Contrarium autem facientes, aut molientes grauer puniantur.

## C A P V T V.

*De honesto manuali labore, ipsiusq; mercede, & de  
Studijs Literarum.*

*De Labore.*

§ I.

I. **C**VM labor honestus, & fructuosus, non solum ad fugandum otium, omnis mali causam, verum etiam ad vitam pauperem sustentandam, sit veris Minoritis necessarius. Idcirco ne Fratres otio defluant, & ne instar muscarum nihil faciendo, aliorum benefacta inficiant. Statuitur, vt Clerici, & Sacerdotes, lectioni librorum instructoriorum, in pietate, in meritis, in excipiendis confessionibus, indefinenter sine præiudicio Orationis incumbant, & vel maximè disciplinam Diui Bonaventuræ quàm diligentissimè Clerici Latinam, Laici verò vulgarem perlegant, semperq; honesti aliquid, & fructuosi operentur. Ordinarium verò pomeridianum laboris manualis commune exercitium, in caloribus æstivis prætermittatur.

II. Sacerdotes quoque, qui lectioni & studio literarum, non sunt idonei, functiones Clericorum, & Laicorum, atque officium mechanicum, Conuentui proficuum, iussi à Superioribus teneantur obedire, & exercere. Inobedientes autem grauer ad arbitrium Superioris puniantur.

III. Fratribus Laicis, cum ex munere incumbat, vt in omnibus

STATUTORVM CAPVT V.

omnibus Conventualibus functionibus sint exercitati, præcipitur: vt omnes Fratres Laici, rationem horti excolendi, infirmis ministrandi, ostiariam mendicationem religioſe peragendi, modumq; coquendi, veſtimenta reſarciendi, ſandalia conſuendi, perdiſcant. Ac principaliter quidem, functionem ſibi à Superiore, Locali demandatam, cum grandi ſedulitate, & fidelitate, obeant. Ex charitate autem alijs Officialibus, cum eorum operâ indiguerint, auxiliares ſe præbeant. Contravenientes, diſciplinam faciant per *Miferere*, & contumaces, otioq; & murmuratiõni, dediti, vt Religionis inutile pondus, & ſacras fruges conſumere nati, alimenti ſubtractione puniantur; caputiumq; probationis deferant, & alijs poenis arbitrarijs, ſubiaceant. Diebus tamen feſtiuis, etiam Ordinis Noſtri, Fratres Laicos à labore manuali feriari condignum eſt, excepto coquinario. Quia tamen Fratres coquinariorum alternâ requie gaudere æquum eſt; ideò cum fieri poterit, ſucceſſiue vnus poſt alium, de anno in annum, officiũ coquinarij obeat.

IV. Tameſi Fratres Laici laudabiliter elaborare poſſint globulos precatorios, cruces ſculptas, Sacrarum Reliquiarũ, & Agnus Dei thecas; nullus tamen aliquid ex prædictis, ſæcularibus offerat, ſine expreſſa Superioris licentia. Clericis verò hæc omnia ſint omninò interdicitã, ob ſtudia pro Ordinationibus, & Confessionibus. Contrafaciẽtes autem, in pane, & aqua ieiuent. Procurantes autem, pro conficiendis prædictis, aut conſimilibus materiam, mediante pecuniã, vt Proprietarij puniantur.

V. Nullus, ſiue prælegendi, aut prædicandi functioni incumbat, ſiue Confessiones excipiat, Miſſæq; Officia celebret, ſiue opus aliquod manuale, vel mechanicum abſoluat, lucrum, aut mercedem aliquam temporariam, inde expectet. Verum ſi quando eleẽmoſyna dictarum functionum reſpectu, Conventui, aut Fratri cuiquam offeratur, tota in communem uſum cedat, omnibusq; ſi fuerit comestibilis, communis reſectionis tempore, diſpenſetur.

VI. Ne

VI. Ne autem labor, & quævis occupatio externa, ministerijs Ecclesiasticis, Diuinoq; Officio præiudicet: Ordinatur, vt Fratres nostri nunquam corpora defunctorum processionalitèr ad sepulturam conducant, nisi corpora in Ecclesijs nostris sepelienda: Contrariumq; introducere molientes, à Patre Ministro severè puniàtur. Nunquam tamen defunctorum corpora, in nostris Ecclesijs, extra sepulchra concamerata sepeliantur. Quo casu ob quartam funeralem, seu portionem Canonicam, nullam Fratres litem audeant Prælatiſ intentare, aut propterea ad Episcopos recurrere. Citati nihilominus: cum modesta placidaq; modestia, lenitate, & humilitate, suas producant rationes.

VII. Processiones in diebus Rogationum, sicut hucusq; non fuerunt in vsu, deinceps quoque intermittantur. In Solemnitatibus autem, & infra Octauam Corporis Christi, cum Venerabili Sacramento, vbi decenter, & cum debita tanto Sacramento reverentia, & solemnitate possunt fieri, fiant per cæmeteria solùm, & non per ambitus Conuentuũ; ac non nisi cum frequentia populi comitantis Sanctissimam Eucharistiam; Quando autem exponitur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ex consuetudine, vel concessione Ecclesiæ, aut alias: Fratres bini, vel singuli, horis inter se distributis, per ordinem superpelliceis induti, ante summum Altare genuflexi, Orationi incumbant.

VIII. Quia verò Religiosos eiusdem Instituti, maxime operè decet, vt vnus sint omninò moris, & ritus in Domo Domini, vt huic pietissimæ vniformitati, vndequaque consulum prospectumq; sit, strictè præcipitur, vt vnus sit omninò, omnium Sacerdotum ritus, in celebratione Missarum, in persoluendis Diuinis Officijs, in administratione, & vsu Sacramentorum, atq; in omni morum disciplina. Vt autem, differentijs quibuscunq; morumq; divisionibus & difformitatibus occasio præripiatur: præcipitur; vt Ritualis Liber, alias Ordinarium Prouinciæ, communi Patrum consilio, & vnanimi



nanimi sensu acceptatum, ritusq; & morum disciplina in eo descripta, ab omnibus vniformitèr ad vnguem observetur. Quos ritus nemo cuiuscunq; authoritatis innouet, nemo illis quidpiam adijciat aut adimat, nec iota, ne in moribus tantùm aut vestimentis, sed etiam in suppellectili, tam Ecclesiastica, quàm domestica, exacta sit vniformitas.

IX. Fratres Nostri, ab vsu, & tractatione sæcularium, & forensium negotiorum, omni penitus ratione se cohibeant, neq; vnquam assumant munus arbitrandi, inter aduersas partes, aut negotia consanguineorum promouendi, literas securitatis, ab aduersario obtinendi, ac insuper nullas pro personis sæcularibus, ad Magnates interponant deprecationes. Nullasq; quorumcunq; faciant pro Officijs, aut seruitijs præsentationes, & commendationes.

Pari autem ratione, facultatis Medicæ, aut artis Chirurgiæ gnaris etiam, & peritis Fratribus, exercitium interdicitur.

Nullus proinde ex Fratribus, quantumvis consummatus esset medicus, pulsus sæcularium tangere, signa dijudicare, venam incidere, potiones, aut quodcunq; medicamentum præscribere, aut quamlibet Medici, aut Chirurghi functionem obire, præsumat. Contravenientes autem, actibus legitimis priuentur per biennium, aut etiam, pro temeritatis, & periculi, scandaliq; ratione, incarcerentur, ad arbitrium Ministri Provincialis.

X. Et quoniam exitialis illa persuasio, quòd sæculares Personæ, in suis exterioribus negotijs, litibus, & difficultatibus, non possint habere refugium, nisi ad notos, & cognatos Religiosos, æquè ac illa, quòd iidem sæculares, nullibi deposita sua securius possint recondere, quam in Conuentibus Regularium, nonnisi à Patre mendacij, eo fine est adinuenta, vt Religiosi, ea quæ sanctè reliquerunt, sub pietatis, obligationis, & compassionis velamine, cum aperto obseruantia discrimine curanda, & custodienda assumerent. Idcirco districtè præcipitur; vt asservationes talium depositorum, & quorumcun-

qué mobilium bonorum, à Superioribus constanter recusentur, & cum summa diligentia impediuntur.

XI. Quando verò pura pietas, & obligatio citra scandalum, aut notabile damnum, aliter fieri non pateretur; adhibeantur cautelæ, sanctè, & legitimè in Statutis Ordinis Generalibus præscriptæ, vt videlicet, nunquam id fiat sine Discretorum consilio, & Superioris licentia, & quod ab ipsis semper videatur, quicquid contigerit deponi; sciantq; cui, & qualiter reddi debeant. Et hæc omnia, sub scriptura authentica, vel deponentis sigillo, conseruentur, & semper cum protestatione deponentibus facta, quòd Fratres ad custodienda deposita huiusmodi, nullatenus se obligare intendant, sicuti nec possunt, nec debent. Quæ deposita loco communi, & tuto, per Superiorem assignato, semper seruentur, & eo modo, quo accepta fuerint, etiam reddantur, idoneâ cautione ante, per Fratres acceptâ.

### *De Studio Literario.*

#### *§ II.*

I. **Q**Via verò DEVS Optimus Maximus, pauperes eligit in hoc mundo, vt sint divites in Fide, prout S. IACOBVS in sua Canonica prædicat. Non putent Fratres Nostri, Sacræ Theologiæ Studia, Instituto Paupertatis Evangelicæ aduersari; quin potius paupertatem Evāgelicam ad Theologiam, siue divitem, & consummatam fidem, optimum esse incitamentum, & præparamentum, certò sibi persuadeant. Noverintq; id ardentè Seraphicū Patrem Nostrum desiderasse idipsum, & Sacro Concilio Tridentino cordi, & curæ fuisse, vt vitæ & paupertatis Evangelicæ sequaces, possint esse Ecclesiæ Doctores. Quapropter præcipitur, vt in nostra Reformationis Provincia, Schola Philosophica, & altera Theologica fundetur, casuum quoque Lectio, in singulis Conventibus habeatur: Regulaque nostra, duabus, velle  
tribus

tribus in Septimana vicibus exponatur, vt ita intra annum, tota explicatio perficiatur, idq; à Patre Prædicatore, si alius idoneus non reperiat, quo casu maior à choro exceptio, est illi legitimè indulgenda.

II. Studio Philosophico, illi duntaxat Fratres applicentur, qui ab ipsis sui tyrocinijs vngviculis, eouq; bonæ spei, & indolis præclarum specimen dederunt. Ad Studium verò Theologicum, illi tantùm promoveantur, qui citra pietatis, & feruoris Nouitij iacturam, in Cursu Philosophico præ alijs profecerunt. Ad quod faciliùs assequendum, Fratres studentes, Orationis, silentij, frugalitatis, & mortificationis, humilitatisq; sint quam studiosissimi, solitudiniqu; & lectioni accuratè addicti. E Conventu proinde non dimittantur, nisi adsit vrgens causa, duabus infra Mensẽ vicibus. In Conventu autem consueta mortificationibus, humilitatisq; & disciplinæ Regularis exercitijs, in Officio contineantur. Et præsertim vitæ liberiori obnoxij. Qui etiam post correptiones, ad meliorem vitam, si non essent reducti, per Patrem Ministrum, à studio irrevocabiliter, repellantur.

III. Quia verò non audiendo tantùm, & speculando scientiæ comparantur: verùm etiam & vsu solerti, atq; praxi literariâ; idèd præcipitur, vt singulis profectis diebus, exercitium fiat conferentiarum, in quo vnus lectionem repetat, alij verò dubia proponant. Quâ de causâ, Fratres studentes, ab exercitio manuali, liberi esse declarantur, quemadmodum, & à præparatione olerum, aliarumq; rerum ad culinam pertinentium liberi existant, cùm Fratres Laici, qui ad eiusmodi munus ad Religionem vocati sunt, id cõmode perficere valeant.

IV. Congressus quoq; Literarij, Disputationes vulgò dicti, singulis diebus Sabbatis Festo celebri non impeditis, instituantur. Fratres porrò studiosi, ductum Patris sui Lectoris sequantur, neque festinatò docti evadere cupientes, aliorum Authorum Lectione occupentur, suâq; scientiæ opinione nunquam oblectentur, nec suo fidant ingenio, sed toti

ex Deo pendeant, profectumq; suum ipsi soli Deo adscribant.

V. Patres verò Lectores, vt eam doctrinam, quam discipulis communicant à Deo Optimo Maximo, optimorum donorum omnium Largitore accipiant, caueant, nè remissiori curâ, Orationi, & devotioni, quàm speculationi incumbant. Quare Orationem Mentalem nunquam intermittant, eamq; tam pro festis diebus, quàm Festiuis insimul, cum alijs absoluant. pariterq; festis diebus, Matutino, Missæ cantatæ, & Vesperis, adsint.

VI. Et quoniam Venerabilis Ioannis Duns Scoti, Communis totius Ordinis Minorum Magistri, monumenta doctrinam contineant, ad eò examinatam, inconcussam, & approbatam, quòd tot retroactis sæculis inoffenso pede cursum absolueret: Proinde volumus, vt Patres Lectores doctrinam, & sententias, Ioannis Duns Scoti Doctoris verè Subtilis enucleandam, enodandam, & propugnandam, suscipiant.

VII. Ordinatur etiam, vt omnes tam Clerici quàm Sacerdotes, latino adinvicem idiomate colloquantur, studio applicati.

## C A P V T VI.

*De Expropriatione Fratrum omnimoda, de vsu rerum, vltimis tabulis Legatarum, de Fabricis, Infirmarijs, & Forasterijs.*

*De Expropriatione.*

§ I.

I. **Q**uo Professio Paupertatis, & expropriationis tam in communi, quàm in particulari, fiat purior & sincerior; ordinatur, vt Fratres Nostri ita sincerè, nec domum, nec locum, nec aliquam rem sibi appropriate, vt nunquam ea adimentibus, aut denegantibus litem intendende-

intendere, aut ratione eleëmofinæ Fratribus relictae, vel in-  
vsum eorum expensæ, excipere præsumant. Contrafacien-  
tes autem, poenâ proprietarij puniantur.

II. Cum verò provisiones annuæ, vltimis etiam tabulis  
Fratribus legatae, naturam bonorum immobilium induant:  
districtè inhibetur; nè vnquam huius generis prouisio acce-  
petur, nullumq; ius in vsum alicuius sylvæ, aut nemoris, vel  
in vsum lacûs, aut stagni admittatur: contravenientes autem,  
penâ proprietarij, puniantur.

III. Inhibetur etiam, ne vllus Gvardianus, aut Præsidentis-  
Capellas, vel quascunq; ædes Sacras, extra Conventus officii-  
andas acceptet, neque passim Sacerdotes ad Missæ Sacrifici-  
um extra celebrandum dimittantur, & nunquam soli mittân-  
tur, & in hoc casu non debent Superiori, obedire.

IV. Quandò verò ad persoluenda Nobilibus, aut Magna-  
tibus Exequiarum Iusta, Fratres Nostros exire oportebit:  
completis exequijs, sumptâ seorsim, & separatim à sæculari-  
um, & Regularium convictu sufficienti refectione, eâdem cum  
fieri poterit die, aut summo mane, posterae diei, Conventum  
repetituri, de loco illo recedant.

V. Fratres singuli, eâ sinceritate, & luculentiâ, expropri-  
ationem in particulari demonstrent, vt non in mortis tantum  
articulo, sed quotidie omnibus rebus ad vsum etiam concess-  
is, renuncient, easq; non solum animi præparatione, verùm  
etiam re ipsâ, aliorum vsui, sinant applicari.

VI. In quem finem, Patres Gvardiani, assistente sibi Pa-  
tre graviore, tenebuntur cellas omnes, Patrum, & Fratrum  
visitare, quodocunq; eis libuerit, & ab eis omnia, quæ volue-  
rint, & abstrahenda censuerint, amovere. Fratres verò  
summoperè caueant, nè in visitationibus cellarum, quidpi-  
am Superiori, occultent, sub poenâ proprietarijs debita.

Quicumq; autem medijs sæcularium favoribus, amotionē  
à Conventu aliquo impedire præsumeret. Excommunica-  
tionem à PAVLO V. latam incurrit, atq; sine mora de illo

confusibiliter eijciatur, & aliâ poenâ arbitrariâ puniatur.

VII. Quicumque præterea, qualcumque reculas, quantūvis necessarias, Superiore visitante cellas, celaverit, vel absq; eius licentia expressa retinuerit, si res sint minoris momenti, poenæ arbitrariæ subiaceat, si verò res sint notabiles, ista tanquam de proprietate notatus, poenâ proprietarij plectatur, mortuusq; priuetur Ecclesiasticâ sepulturâ. Volumus, ne Fratres Nostri Cellas ita ocludant, quin à Superiore, & quouis alio, sine clauē referari possint, excepto Superiore, Lectoribus, & Prædicatoribus, propter Libros, scripturas, & alia Conuentūs conseruanda.

VIII. Fratres de vno Conuentu, ad alium commigrantes nihil omninò secùm deferant, præter Breuiariū, amictumq; ordinarium, & codices manu scriptos; neque facultas transportandi res aliquas, à Patre Ministro concedatur, nisi res sint necessariæ, pro functionibus in determinato Cōuentu, obcurdis. Contrarium facientes graviter puniantur, reliq; per eos asportatæ, Conuentui proprio restituantur, Idcirco Patres Guardiani Fratrum siue recedentium, siue accedentium ad Conuentus sportas reuideant, & superflua, aut non concessa, tollant.

IX. Cùm autem continuâ experienciâ sit compertum, & exploratum, quod Fratres Nostri in quolibet huius Provinciæ Conuentu, ex quotidianis optimorum Benefactorum, siue oblati, siue mendicatis eleēmosynis, atq; ex labore manuali, commodè sustentari possint, idcirco seuerè inhibetur, ne vlla penitus filiginis, frumenti, hordei, & id genus alterius grani, pro pane pinsendo, aut faciendâ cercuisiâ, fiat quæstuatō, neque quæstuarij Ordinarij instituantur: aduersus hanc Constitutionem facientes, & molientes, graui arbitrariâ, poenâ afficiantur.

X. Ne autem ex rerum verè, ac simpliciter necessariarum penuria, imperfecti Fratres, procurationis suarum necessitatem suscipiendæ ansam, & occasionem captent: vnusquisque

quē Su.

què Superior, pro posse provideat, vt alimenta, & indumenta, strophiola, chordæ, sandalia, lectisternia, codices, papyrus, atramentum, & alia verè necessaria, Fratribus indigentibus suppetant. Eapropter, Patres Ministri, summam curam adhibeant, vt communia promptuaria, rebus ad vsum Fratrum necessarijs referta habeantur, quorum curam gerant Officiales, á Loci-Superiore deputati.

XI. Quamvis autem salvâ Regulæ puritate conveniat, expediatque, vt Fratres Nostri, & religiosæ commoditatis ergò, & victus labore parandi causâ, hortos Conventibus coniguos habeant, eorumque humum subigant, confodiant, & excolant, & germina hortensia in eis seminent, herbas, plantasque inserant: Cavendum est tamen, nè olera in tanta copia seminentur, vel tot plantæ inserantur, quòd fructus ex eis collecti, & asservati, interuallo sex Mensium, usu Fratrum consumi non possint. Contrariumque facientes, poenâ arbitrariâ puniantur, olera tamen, aut fructus superfluos, nemo vendere, aut extraneis distribuere audeat, sub poenâ proprietarij.

XII. Nunquam sit licitum tam Gvardianis, quàm subditis, sine expressa in scriptis Patris Ministri licentia, arbores vitales excidere. Contravenientes autem, disciplinâ, & ieiunio vnius diei, in pane, & aqua, vel etiam gravius puniantur, iuxta excessus exigentiam. Quemadmodum autem pergulas umbrifas, seu umbracula æstiva, folijs cucurbitarum, arbutorumque flexibilibus frondibus circumvoluta, & operta, licitum est Fratribus apparare; ita etiam si vineolas plantare, in hortis sit nobis vetitum: umbracula tamen frondibus, folijsque vineis supervestita, inambulandi, & spatrandi gratiâ accommodare, non est Fratribus Nostriis interdictum.

XIII. Quia verò Partes Lectores, Prædicatores, & Confessarij, quantumvis consummati, sedulo Orationis, & humanarum, Divinarumque literarum studio solliciti, & incessanter debent incumbere; ideo statuitur, vt in vnoquoque Conventu, communis Bibliotheca illis saltè Libri: qui functioni & capa-

& capacitati nostrarum Confessoriorum, & Prædicatorum congruunt, sic sufficienter instructa.

XIV. In Conuentibus studio Philosophico, & Theologico deputatis, Authores Scholastici, ad controversias Scholasticas solidè, & lucidè enucleandas necessarij, Patribus Lectoribus suppetant. Communis verò Bibliothecæ curator, in prima cuiuslibet codicis filura, nomen Conuentûs adscribat. Nomen autem Authoris, in aversa Libri superficie exprimat. Omnesq; & singulos codices in vnum repertorium referat, nec cuiquam libellum quemcunq; concedat, nisi qui eum sciat, & possit vsurpare, vsurpantes autem indiculum librorum sibi ad vsûm concessorum, Curatori Bibliothecæ tradant. Nullus autem volumen quodcunq; à Bibliotheca formali alienare præsumat. Contrafacientes enim, poenâ Excommunicationis à SIXTO V. latam incurrunt, à qua ante recuperationem libri absolui non poterunt.

XV. Quoniam verò feruor indiscretus promptaq; recipiendi nova domicilia, aviditas, & voluntas, progressum Ordinis, & rei, ædificijque spiritualis, proventum vehementer impedit: ordinatur, ne deinceps nova domicilia recipiantur, donec recepta iam, & exædificata ex toto compleantur, & Provincia, ex modernis Conuentibus coalita, Lectores, Prædicatores, Confessarios, Gvardianos, aliosq; Officiales redundantè habuerit sufficientes.

XVI. Quo quidem Provinciæ istius successu, & progressu ex benignitate Divina habito, Fratres nihilominus nostri domicilia nova, per seipso directè, vel indirectè non procurent. Interpellationibus autem, & instantijs peridoneorum Fundatorum compulsi, loca, & domicilia nova non acceptent, nisi prius de integro exstructa, & necessarijs apparatus fuerint, idq; si non iuxta magnificentiam Fundatorum, sed iuxta nostram altissimam paupertatem fuerint ædificata.

XVII. Domicilia verò, siue Conuentus Nostri, sint humiles,



miles, eius tamen capacitatis, vt triginta ad summum Fratrum, ad minimumq; quatuordecim commoda, & regularia habeantur receptacula. Et quamvis lignea ædificia, magis paupertatem nostram in hoc mundo deceant, quando tamen Fundatoribus placuerit Conventus, Ecclesiæq; saxo structas, & cæmenticias Fratribus offerre, poterunt ædes illas recipere, dummodo tantæ molis sint, & sumptûs, quod altissima paupertati non repugnent.

XVIII. Quamvis autem nova loca, siue fundi pro novis Conventibus exstruendis, recipi non valeant, nisi præcedenti Capituli Provincialis informatione, & Patris Generalis licentiâ accedente, inchoata nihilominus Conventuum, & Ecclesiarum ædificia complere, & in meliorem etiam formam reducere, Patri Ministro est integrum. Reficere etiam ædificia, redintegrare, & tempestiuè consolidare, omnibus Loci Superioribus, cum Discretorum localium consilio, ex munere incumbit, sub pœna suspensionis ab Officio.

XIX. Quando successu temporis, noua recipere, & extruere domicilia Patri Ministro per vires, & possibilitatem licebit, curet duos Fratres, præ alijs magis capaces, magisq; expertos, in hoc genere versatos, fabricandis Conventibus præficere, quibus incumbet modellum, seu formam Conuentûs, & Ecclesiæ, de consilio Architectorum, delineare, Patriq; Ministro exhibere; atq; iuxta eandem formam, à Patre Ministro & Diffinitorio approbatam, ad Fabricam attendere, qui in Capitulo, vel Congregatione deputeatur.

XX. Quia verò diuturnis constat experimentis, abusum impertinentium discursuum, importunitatē quaestuum, sumptuositatem ædificiorum, excessiuamq; suppellectilem, & librorum ad pompam, & vanitatem aggregationem, vestiumq; superfluitatem, & ciborum luxum, atq; ministrorum sæcularium, & certiariorum multiplicationem, aliasq; id genus notorias Regulæ transgressiones, ex multiplicata Fratrum in Conuentibus numerosâ familiâ, in Ordinem irrepisse. Statuitur,

vt cum auxiliante, & favente DEO Optimo Maximo, Provincia, huius Reformationis per incrementa auctiorem Fratrum numerum habuerit, iuxta Sacri Concilij Tridentini Decreta, in vnoquoq; Conventu, is duntaxat numerus Fratrum collocetur, qui ex ordinarijs Benefactorum eleēmosynis, partim per mendicationem, partim per spontaneam oblationem facile parabilib<sup>9</sup>, necessariam possit habere sustentationē. Quem numerum, Pater Minister, cum Diffinitoribus, in Capitulo, vel Congregatione æquivalenti, omnibus maturè ponderatis, per Decretum authenticum, singulis Conventibus præfigere, & determinare tenebitur.

*De Infirmis.*

§ II.

I. **C**VM autem Superiores, tam Locales, quàm Provinciales, morbo correptis, & afflictis Fratribus, nõ ex charitate tantum, sed ex iustitia, & stricta obligatione, summam misericordiam, & curam singularissimam summoperè debeant; illud imprimis efficiant, vt singuli quique Conventus, vnum peculiare habeant valetudinarium, quandoquidem valetudinarium omnium Conventuum commune, in hoc Regno, ob magnam distantiam Conventuum, nulli esset vsui. In vnoquoque proinde Conventu, sicut peculiare deberet esse infirmorum dormitorium, & Refectorium; ita pro infirmis peculiaris culina, cellaq; promptuaria, & Officina medicinæ esset providenda. Interim tamen, dum ante dicta ad effectum non deducuntur, in singulis Conventibus, vnus Frater deputetur, qui simul sit curator Infirmorum, & eorum coquinarius.

II. Lectisternia quidem pro Infirmis, non straminea, neque plumea, sed lanca comparentur, sindonesq; singulis Infirmorum Iodicibus, substernantur. Officina verò Medicinæ, simplicibus saltem pharmacis sit instructa, vt potè aquis, vnguentis-

guentisq; tam spissis, liquidisq; ex herbis medicinalibus, ad præscriptum Herbarij distillatis, vel extractis, atque alijs communibus, facileq; parabilibus medicamentis.

III. In vnoquoque Conventu, collocetur Frater aliquis pius, humilis, & erga infirmos officiosus, qui etiam peritiam ægris inserviendi, medicamenta applicandi, medicorumque præcepta exequendi, & si non ab arte, ab experientia tamen sibi comparavit, sitq; curæ infirmorum præfectus, quorum vt animos simul, ac corpora recreet, omnibus citra personarum acceptionem singulari curâ, & alacritate officiosissime inserviat. nullam quorumq; morbidorum deformitatem, aut sordes refugiendo.

IV. Curator tamen infirmorum, non ad votum infirmi satisfaciat, nec quæcunque vult, illi subministret: verùm ad Medicorum tantùm præscriptum, dummodò Medici sint Orthodoxi, quorum duntaxat curæ Fratres nostri se commendent, & commitant, nisi ope Medici Orthodoxi destituantur; quo casu curam quidem perfidi Medici sustineant, facilitati tamen eius, ad excusandum ab Horis persolvendis, præceptisq; tam Ecclesiæ, quàm Rêgulæ servandis, minimè acquiescant.

V. Vt autem misericordia Superiorum, superet miserias infirmorum, Gvardiani, & Vicarij, singulis diebus, infirmos personalitèr humanissimè invisent, eosq; religioso consolentur alloquio, & ad patientiam hortentur, eorumq; tum animi, tum corporis indigentias, ex ipsismet resciant, illisq; sollicitè, & repenti subveniant. Idemq; pietatis Officium singuli Fratres, infirmis exhibeant, certatimq; ad vilia quæque obsequia, infirmis impendenda accurrant, seq; præveniant.

VI. Principalem curam, ad sublevandas animæ indigentias, Superiores adhibentes, vnum in singulis Conventibus Sacerdotem, Præfectum infirmorum Spiritualem designent, qui assiduè infirmos, ad dolores patienter perferendos animet, atque omnes quidem languidos, maximè tamen vltimè infirmi.

infirmitate correptos, ad percipienda tempeſtivè Sacramenta, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ vñctionis, efficaciter inducat. Quæ quidem omnia, vt quamprimùm optatum fortiantur effectum, Pater Provincialis sollicitè instet, & vrgeat, Gvardianosq; segnitè executioni incumbentes, Gvardianatu priver.

VII. Infirmi verò graviter etiam decumbentes, semper cum habitu caputio; & chordâ decumbant, quibus tamen habitus, ex panno subtili, non chordelato, confecti concedantur. Superiores autem contrarium permittentes, à Patre Ministro pœnâ arbitrariâ afficiantur.

VIII. Functionem quoquè Visitationis, Pater Minister obeundo, infirmos personaliter adeat, visitet, blandèq; conſoletur, atq; scrutetur diligenter, an omnes ipsis necessitates, providè subministrentur. Fratres verò curæ infirmorum, tam spiritali, quàm corporali præpositi, luis non desint officijs, in quibus si Gvardianos, vel infirmorum curatores defectuosos compererit, iuxta negligentia, & malitiæ modum puniat, suis officijs etiam eos privando.

IX. Quæ commiseratio erga pauperes infirmos, vt non ex naturali tantùm propensione; verùm ex dono gratiæ manare dignoscatur. Fratres nostri, peregrè constituti, non negligant, ad xenodochia divertere, curentq; sæpiùs valetudinaria hospitalium invisere, atq; Christi pauperes, & infirmos humaniter salutare, adhortationesq; eis salutares, & consolationes proponere, ac re ipsâ, cum per vires, & donum Dei licuerit exhibere.

### De forensibus.

#### § III.

**I**N singulis Nostriſ: Conventibus, vnus ex Fratribus  
I. Imagis recollectus, mortificatus, & discretus, ad forenses, & hospites peramanter tractandos deputetur: vbi primùm autem forenses, maximè Regulares, ad Conventus Nostros

Nostros accesserint, eos cum omni charitate, & reuerentia, Ostiarius excipiat, atque ad praesentiam Localis Superioris adducat: forenses autem pedestres, & nudis pedibus aduenientes, in Refectorium introducantur, moxq; Fratres domestici, ad sudores forensium de more abstergendos, pedesq; eorundem, exemplo & iussu Saluatoris lavandos, signo tinctio- nali convocentur. Quod hospitalitatis Apostolicae officium, alijs obeuntibus, ceteri genuflexi, Canticum *Magnificat*, ali- atq; consuetas preces, voce elevatâ recitent. Et maio- ribus quidem Superioribus, ac visitatoribus, tam delegatis, quam Ordinarijs super sellam, in medio Refectorij colloca- tam accumbentibus, pedes ab ipso Locali Superiore, reveren- ter, laventur; ceteris interim Fratribus voce elevatâ: *Salve- Sancte Pater &c.* recitantibus.

II. Prætermittentes hoc insigne fraternæ hospitalitatis obsequium, aut abolere molientes, Superiores suis destituan- tur officijs: Fratres autem recusantes, poenâ arbitrariâ puni- antur. Prætextu tamen hospitalitatis, silentium non viole- tur, & omnis excessus, & superfluitas vitetur.

C A P V T VII.

*De Casibus Reservatis, eorumq; pœnis, ac alijs ex- cessibus, cum adiuncta pœnarum in hisce Sta- tutis memoratarum, Declaratione.*

*De Casibus reservatis.*

§ I.

I. **R**eservationem graviorumq; delictorum, Maio- ribus Ordinis Superioribus, ad voluntatem, à pa- trandis sceleribus, maiori metu-refrenandam, ma- gnopere conducere Sanctissimus Religions Nostræ Institutor religiosè sentiens; ordinat hoc loco, ut Prælati Ordinis facul- tatem, ab atrocibus delictis absolvendi, sibi ipsis refer-

vent. Cui proinde adeò pia Sanctissimi Patriarchæ Nostri voluntati, & Pontificio CLEMENTIS VIII. Decreto, nos conformantes, primævisq; priscis, & probatis Religionis nostræ vestigijs insistentes, casus infrascriptos, ita reservamus, vt nullus, ab eis possit validè absolvere, nisi Generalis Superior Ordinarius, Provincialisq; Minister actualis, aut quibus ab istis facultas absolvendi delegata fuerit.

*Sunt omnes Reservati infrascripti.*

- I. Maleficij procuratio, vel executio, vltusq; incantationis, & sortilegij.
- II. Inobedientia contumax, quæ incurritur, post trinam monitionem, eadem die, congruis intervallis factam.
- III. Gravis proximi in corpore percussio, vel in fama læsio.
- IV. Arcani alicuius negotij, aut defectûs, extra Ordinem patefactio.
- V. Peccatum carnis, voluntariè consummatum.
- VI. Rei notabilis surreptio.
- VII. Proprietas, inducens mortale peccatum.
- VIII. Falsa proximi in iudicio accusatio, falsiq; memoria-  
lis, in quocunq; iudicio porrectio.
- IX. Falsum in iudicio testimonium.
- X. Communitatis alicuius, vel cuiuspiam Officio fungentis, sigilli adulteratio, vel fictio.
- XI. Literarum ad Generales, Superiores, Procuratoremq; Generalem, atquè etiam Provincialem, vel ab illis datarum, malitiosa apertio, & retardatio.
- XII. Libelli famosi, seu schedula diffamatoriæ compositio, & divulgatio.
- XIII. Aborsûs procuratio, vel consilium, etiamsi non sit securus effectus.
- II. Pater Minister teneatur constituere, vnum, vel plures poenitentarios, iuxta qualitatem Conventûs, præter Superiores Locales, & Vicarios, (qui eam facultatem absolvendi habent ex delegatione) & habeant facultatem absolvendi, ab omni-

ab omnibus casibus, quamdiu morantur in illo Conventu, à quo si debeant exire, vel recedere, virtute huius Statuti succedat antiquior in Religione Confessarius, vsque dum Pater Minister provideat.

### De Pœnis.

#### § II.

**C**ontra illos porro, qui in casus memoratos prolapsi, & de ipsis conuicti fuerint, Pœna infrascripta statuuntur.

I. Quicumq; maleficio, incantatione, & sortilegijs, quoquo modo vsus fuerit, is trimestri spatio incarcerationetur, & per annum, aut amplius, ad arbitrium Ministri Provincialis, caputio Nouitiorum probetur.

II. Inobediens autem inobedientiâ contumaciâ, carceris pœnam, per sex Menses subeat, & per alios sex, caputium Novitiorum deferat, vel aliâ pœnâ æquivalenti afficiatur.

III. Quicumque autem baculum, lapidem, cultrum, gladium, aut aliquod offensivum instrumentum, ad percutiendum arripuerit, & in proximum proiecerit, vel alio quocunque modo percutere nisus, vel etiam minatus fuerit, vel qui arma offensiva, & inuasiva portaverit, aut in cella, vel alibi retinuerit semestri carceri mancipetur.

IV. Qui verò prædictis instrumentis Fratrem, aut etiam sæcularem percusserit, carceris anni pœnam luere, actibusq; legitimis perpetuò privari debet, ac per Mensem, ter in Septimana coram Fratribus capitulariter congregatis, genuflexus comedere, instrumentis interim sibi de collo pendentibus, quibus ausus, vel nisus fuerit ferire.

V. Vnde minaces illi fraterculi, qui impiè comminatur, se alijs necem illaturos, aut pugno dentes excussuros, vel etiam Conventum exusturos, æquè ac illi, qui pugnum alijs intentant, iisdem pœnis omnibus afficiantur, & flagris acerrimè cedantur.

VI. Qui verò verbo, opere, quacunque personam irritaverit,

verit, vel graviter provocauerit, probationis caputio per Mēsem probetur; verūm qui linguā maledicā verbisq; detractorijs, aliquem sauciauerit, à nemine absolvatur, nisi culpam recognoscat, & linguā formet crucem, super pavementum Refectorij totum.

VII. Qui verò secundā vice, cuiuspiam detraxerit, aut verbis, vel factis quempiam graviter offenderit, a quē ac ille, qui improperauerit alicui delictum, pro quo iam alias fuit punitus, bimestri carceri mancipetur, aliāq; arbitrariā poenā iuxta exigentiam delicti graviter afficiatur.

VIII. Ut autem venenata linguæ petulantia refrenetur, renovatur Decretū Leonis X & Pij V. Ordinaturq; ut quicumq; Fratrum, clam, vel palam, inter Fratres, vel externos, alicui Ordinis nostri sodalicio, obloqui præsumpserit, poenam Excommunicationis latæ sententiæ, incurrat, & alijs poenis rigidisq; arbitrarijs mortificationibus, plectatur; atq; ad famæ restitutionem compellatur. Quæ Constitutio extenditur ad illos, qui malitiosè, irrisoriè, seu impropriosè, aliquem ex nostris Reformatis, cognomine Bernardini, aut Ex Bernardini, item cognomine Conventualis, aut Exconventualis, vel quovis alio derisorio, aut iniurioso aut impropriosò nomine, siue quod, pro impropriosò, aut iniurioso à patientibus habetur, appellaverit.

IX. Subornator autem, & conspirator quilibet, atq; secretorum extra Reformationem, in ipsius detrimentum, & infamiam, revelator, carceri mancipetur pro modo delicti, & actibus legitimis perpetuò sit privatus, vel caputium probationis, per annum deferat, cui prior poena non cōpeteret.

X. Qui proinde defectus Fratrum quibuscunq; extra Obedientiam Nostræ Reformationis constitutis revelauerit, propalando, verbi gratiā, quod discordiæ inter Fratres vigeant, quod Prælatus aliquis ab officio, per Sententiam sit depositus, quod Prælati vitam communem non observent &c. omnibus præmissis, afficiatur poenis.



XI. Revelans quoq; secreta in Diffinitorio proposita, consulta, & decreta, postquam fuerit convictus, aut confessus, à Diffinitorio excludatur.

XII. Superior quoq; qui secreto ab alio Superiore defectus Fratris sibi commissi in cautelam rescians, eidem Fratri malitiosè factum detexerit, aut scripturam ostenderit, velut factor litium, turbationum, & odiorum, quam primum, ob Officio deponatur.

XIII. Qui verò ex votis primâ vice violauerit aliquod, tradatur per annum dimidium in carcerem, speciatim autem, si quis de peccato contra votum castitatis convictus, aut vehementer suspectus fuerit, semestri carceri mancipetur.

XIV. Si autem externis crimen ipsius notum fuerit, vel si peccatum iteraverit, poena ipsi dupla inferatur, & per annum caputio Novitiorum probetur, & tertiâ vice relapsus, perpetuis carceribus mancipetur, vel ex Ordine tanquam correctionis incapax, expellatur: servatis conditionibus, in Breui Urbani VIII. expressis.

XV. Peccantes quoque contra votum Castitatis cum scâdalo sæcularium; præsentibus sæcularibus, qui scandalum passi sunt, verberibus influctis corripiantur.

XVI. Quod si quis (quod Deus avertat) nefas nefandum perpetraverit, perpetuo carceri sit addictus, alijsq; poenis in Constitutionibus Ordinis, & Reformationis Generalibus, contra tales stabilitis puniatur.

XVII. Speciatim verò, si quis votum Paupertatis violaverit, ultra poenam carceris, si in proprietate moriatur, Ecclesiasticâ priuetur sepulturâ.

XVIII. Qui autem, non tantum proprietatis, sed furti vitio inficeretur, per Mensem incarcerationetur. Rem tamen notabilem, maximè sacram surripiens, sexennio carceretur, vel caputium probationis biennio deferat.

XIX. Deinde verò, qui in iudicio quidpiam falsò, ac scienter, deposuerit, vel ad id faciendum induxerit, aut revocaverit,

caverit, vel revocandum procurauerit, quod verè depositum fuerat; Superiorum arbitrio incarceretur, & sententiam excommunicationis, ipso facto incurrat.

XX. Qui tacito nomine, vel sub nomine alieno literas, seu libellos famosos ediderit, miserit, proiecerit, vel quomodolibet in proximi infamiam, exposuerit, similiter Superioris arbitratu incarceretur, & infamis declaretur.

XXI. Qui tempore Visitationis, defectus Fratrum coram Provinciali, aut Commissario oportune non manifestauerit, sed malitiosè, & callidè in aliud tempus, cuiuscunq; Ordinis Prælato manifestandos distulerit, vel literas contra quempiam servauerit, & postea in iudicio, seu visitatione deduxerit, produxeritue; actibus legitimis priuetur, & infamis existat, nec audiri possit, vel cui prior pœna non competeret, per annum caputium Novitij deferat.

XXII. Qui per se, vel per alium literas, aut sigilla Principum aut Prælatorum Generalium, aut Provincialium, siue aliarum notabilium Personarum falsificauerit, ad arbitrium Superioris carceri mancipetur: & ad Ordinis dignitates, perpetuò inhabilis existat.

XXIII. Quicumq; Literas Prælatorum memoratorum, aliarumq; notabilium Personarum, quomodolibet, per se, vel per alios malitiosè interceperit, easq; destruxerit, vel impedit, aut retinuerit, ne mittantur, & aperuerit; pariterque qui literas prædictorum, sibi ipsis ~~missas~~ legere, aut aperire malitiosè distulerit, actibus legitimis priuetur, vel aliâ pœnâ arbitrariâ puniatur, qui prioris capax non esset.

XXIV. Ad extremum iuxta probatam primæuam Ordinis consuetudinem, & Constitutionem Generalem, quicumq; post Religionis ingressum, tale aliquod crimen admiserit, propter quod si in sæculo esset, morte plecteretur, ad carceres perpetuos, condemnetur. Cuiusmodi crimina perpetrât, qui nefas nefandum, crimen homicidij, aut propinati veneni consumant: Sigillumq; Confessionis frangunt, & aborsum perficiunt, atq; alijs consimile.

*Declara-*

*Declaratio pœnarum, in hisce Statutis memoratarum.*

§ III.

I. **I**Nter pœnas in Ordine infligi solitas, siue consuetas, singularis est pœna Priuationis. quæ in triplici est differentia. *Prima* est, priuatio Actuum legitimorum. *Altera*, Iuris suffragiorum. *Tertia*, Officiorum.

*Et actuum* quidem legitimorum priuatio, est inhabilitas, ad omnia Officia Ordinis, cum dignitate, & Superioritate coniuncta, cuiusmodi sunt Provincialatus, Commissoriatus, Diffricatorius, Gvardionatus. Vnde taliter priuatus, & Ordines Sacros suscipere, eorumque functiones obire, ac munere Confessarij, Lectoris, Prædicatoris, Vicarij, & Magistri Novitorum, fungi poterit.

*Priuatio Iuris* suffragiorum, est inhabilitas, tam ad ferenda, quam ad consequenda quæcumque; vota, & suffragia in Ordine.

*Priuatio Officiorum* Ordinis, est inhabilitatio ad omnia prædicta, nempe ad Confessionis, etiam Prædicationis, Lectionis, Vicariatus, Magisterij, Paternitatis, munera, & dignitates obeundas.

II. *Altera* grauior pœna secundum Ordinis Statuta infligenda, est pœna carceris, quæ formaliter est reclusio delinquentis, in loco obserato sine caputio, chorda, & sandalijs: Concomitantè autem est, actuum legitimorum, vocis, & loci, priuatio, post liberationem eluenda, aliæque mortificationes, sub tempus incarcerationis, singulis ferijs sextis in Refectorio, communis refectionis tempore, subeundæ.

III. *Tertia* pœna prioribus mitior est, in domo disciplinae, seu Custodiæ retentio, & reclusio, cui pœnæ subiecti, nullis anterioribus pœnis, & mortificationibus subiacere debent.

IV. *Quarta* pœna adhuc præcedenti mitior, est pœnanda sequestrationis, quando nimirum Religiosus, iubetur

ire in suam cellam, ibiq; manere per dies aliquot, ad Superioris, arbitrium. Quæ proinde pœna, applicari solet, non pro enormibus, aut grauissimis criminibus, sed pro culpis duntaxat grauibus.

V. Quinta pœna est charitativa, acris castigationis, & verberationis, ab alio inflictio: Cum etenim ex præscripto iuris communis, & Decreti Urbani VIII. Superiores Regulares nihil intentatum relinquere debent, antequam aliquos incorrigibiles declarent. (Constat autem experientiâ pleròquè post pœnam etiam carceris obstinatos, post flagellationem resipiscere) ideirò tales Fratres remedio castigationis huiusmodi sunt corrigendi. Quicumq; igitur pœnas omnes præmissas contemptui haberet, ille acerrimè virgis, & scuticis est cadendus.

VI. Ad extremum pœna omnium grauissima, & extrema est, ex Ordine expulsio, quâ soli obstinati, & correctionis incapaces, sunt mulctandi; obstinatus autem, & correctionis incapax ille reputabitur, qui ad pœnam condemnatus, omnè penitèns fere detrectat, & subire non vult, incarceratusq; propterea, pijs consilijs, & exhortationibus, mortificationibusq;, alijsq; remedijs non flectitur, nec emendatur. Talis enim tanquam ovis morbida, expelli debet, ne cæteros inficiat.

VII. Declaratur, quòd quotiescunq; ex Statutis pœna carcerationis, Excommunicationis, Suspensionis, vel Privationis, infligitur, non incurratur, nisi à Fratribus, ex proposito, & ausu destinato, delinquentibus.

VIII. Ampliùs quoque declaratur, quod dum pœna ipso facto ob crimen aliquod incurrenda, in Statutis infligitur, delinquens statim ipsi subiaceat, ad eamq; luendâ còpellatur.

Vnde Superiores in criminosos non animaduertentes, absolui non possint, nec debeant, cum enim vitiosa hæc conuenientia sit iniquitas valdè detrimentosa, vigore facultatis à CLEMENTE VIII. 1593. die 26 Maij. Regularibus indultræ, delictum hoc declaratur esse reservandum, hoc tamèn intelligendum

dum est, de delictis grauioribus, quibus in Statutis, Privatio actuum legitimorum, aut grauior alia poena infligitur.

IX. Quare, vt atrocia crimina condignâ poenâ puniatur, & coercantur; cauetur, vt in omnibus Conuentibus, carceres habeantur, omninò fortes, humani tamen, & lucidi, vt carcerati Diuinum Officium persoluerent, ac pro Spirituali cōsolatione piorum librorum lectioni vacare possint; vbi autem carceres non habentur, cella aliqua detentioni idonea præparetur, & muniatur, compedeq; & pedicæ commodè in ea disponantur.

X. Accessus autem ad carceratos, omnibus, (solo Superiore, & carcerio exceptis) interdicitur. Qui proinde carceratū alloqui præsumperit, caputium probationis per dies quindecim deferat; liberans autem quempiam è carcere, aut quomodolibet cooperans, ipso facto Excommunicationis censuram incurrat, neq; absoluator; postquam autem conuictus fuerit, grauius ad arbitrium Superioris puniatur.

## C A P V T VIII.

*De Capitulo Prouinciali, & de Ministri, aliorum què Superiorum, & Patrum electione, atq; de eligentium potestate.*

*De Capitulo Prouinciali, & de electione.*

## § I.

I. **Q**uoniam Officium Patris Ministri in Reformatione transacto Officij triennio expirat: ideò Minister Prouincialis habente sui Prouincialatûs, tertio anno, Reverendissimum Patrem Ministrum Generalè, de hoc tempestiuè certiozem reddat, vt opportunè Commissarius, & Visitator Generalis; in Prouinciam expediatur, ad eam in capite, & in membris visitandam, Capitulumq; pro

Provincialis electione celebrandum. Quo quidem tardante, si expleto triennio, & semestri Ministeriatûs, nullus sit missus Commissarius, ex aliquo accidenti. Pater Minister teneat sigilla, & gubernet Provinciam, tanquam Commissarius Provincialis, cum suo Diffinitorio, secundùm Decretum Alexandri VII, qui tamen non habebunt votum in Capitulo sequenti, nisi ipsis omnibus concedatur, à Superiore Generali.

II. Commissarius verò Provinciam ingressus, cum & ipse legibus subiaceat, ut Canonicè recipiatur, patentes suæ delegatæ Iurisdictionis, Ordinario Provinciæ Superiori exhibeat, vel literis ad eum in remotis agentem datis, insertas eidem transmittat, receptusq; confestim Visitationem, primum suæ Iurisdictionis actum, per nunciatorias literas indicet.

III. Visitatione verò completâ, mox literas citatorias, ad Capitulum per Conventus Visitados mittat. Quarum Literarum Ordinationibus, omnes, & singuli plenè, & promptè obtemperent, pro feliciq; ac prospero Capituli actionumq; Capitularium successu, opem, & gratiæ Divinæ assistentiam, ardentè, & indefinenter implorent, & consuetas in Ordine supplicationes, bis in die instituunt: hoc est, *Veni Creator Spiritus*, cum Collectis, de Spiritu Sancto, de Sanctissima Virgine Deiparâ, de Seraphico Institute Nostro, de Sancto Antonio, & aliqua alia ad libitum, post Matutinum, post Tertiam, & Vesperas, vocè elevatâ recitando.

IV. Ad quod quidem Provinciale Capitulum de iure vocari debeat, Pater Minister, Patres Provinciæ, Pater Custos, Patres Diffinitores actuales, & Patres Gvardiani, omnes, In quo omnes prædicti regulariter vocem habent passivam, solo Patre Ministro excepto, qui denuo reeligari non potest, nisi integro sexennio vacaverit, & activam etiam præter Patres Provinciæ, nisi eorum aliquis sit actualis, vel Custos, vel Diffinitor, vel Gvardianus.

V. Capitulum Provinciale ordinariè non celebretur, nisi de triennio, in triennium. Quando tamen ipsemet Provincialis ipson-

lis spontè, & liberè, ex legitimis causis cederet Provincialatui expresseq; renuntiaret oneri, & honori, vel etiam è vita cederet, aut ab Officio abfolueretur, vel repelleretur: Patres Provincie cum toto Diffinitorio, per primum Patrem, non expectato triennio convocentur; à quibus Vicarius Provincie eligatur.

VI. Provincialis porrò, siue spontè, siue de Iure in Capitulum publico confesso, suo Officio renunciaturus, sigilla sui Officij, Capituli Præsidenti resignabit; decrectans autem, illam Officij abdicationem, ipso facto, Officio destituitur, iusq; suffragandi amittit.

VII. In quouis autem Provinciali Capitulo, Syndicatio Ministri Provincialis, à Præsidente Capituli excipiat. Qui proinde Provincialis defectus in Visitatione antecedente Capitulum, in quo Minister Provincialis suo Officio renuntiat, manifestare malignè neglexerit, & in aliud tempus manifestandos, malitosè, & dolosè distulerit, actibus legitimis priuetur, ac perpetuò infamis existat, deinceps nullus ipsi Prælati autem, fidemq; accommodet.

VIII. Appetente porrò die electioni Ministri Provincialis destinato, in singulis Provincie Cõuentibus, Sacrum Missæ de Spiritu Sancto Sacrificium, voce elevatâ tractim celebretur, ac imprimis in loco Capituli, in quo Sacrificio omnes Fratres Clerici, & Laici præmissâ Confessione Sacramentali, devotè communicent. Cuncti verò Sacerdotes eodem die Missam celebrent. Finitâq; re Sacrà, & Divinâ, Capitulares omnes signo Campanellæ convocati, ad Refectorium conveniant, quos Collegialitèr adunatos, Præsident Capituli, ad eligendum talem Provincie Præfectum, vehementi, fervidè & succincto sermone permoveat, qui omnes boni animarum Rectoris Provincialis, Pastorisq; notas habeat. Quâ cohortatione finitâ, cuncti Capitulares genuflexi, *Confiteor*, recitent, statimq; à Præsidente Capituli, in forma subiecta absolvantur.

*Misereatur vestri Omnipotens Deus. &c.*

*Indulgentiam & remissionem, &c.*

*Forma*

## Forma Absolutionis.

IX. **D**ominus Noster IESVS Christum vos absoluat, & egi  
 authoritae illius, ac Beatorum Apostolorum Petri, &  
 Pauli, ac Sedis Apostolicae, mihi in hac parte cōmissā,  
 & vobis concessā, absoluo vos ab omni vinculo Excommunicationis,  
 Suspensionis, & Interdicti, si quo innodati estis, & restituo vnioni, &  
 participationi Fidelium, nec non Sanctis Ecclesia Sacramentis, di-  
 spensando Vobiscum in omni sententia Irregularitatis, si quam in-  
 curristis, & ad effectum electionis canonicæ, & ritè, nunc per Nos  
 celebranda, quantum opus sit, & indigetis, vos habilito In Nomine  
 Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen.

X. Post hæc verò, Pater Commissarius genuflexus, Hy-  
 mnium *Veni creator* intonet, cæteris alternatim prosequentib⁹,  
 quo finito, dicantur versiculi sequentes.

℣. *Adiutorium nostrum in Nomine Dñi.* ℞. *Qui fecit cælum & c.*

℣. *Sit Nomen Domini benedictum.* ℞. *Ex hoc, nunc, & c.*

℣. *Deus Virtutum conuerte nos.* ℞. *Respice de calo, & visi-  
 ta Vineam istam.*

℣. *Memento Congregationis tuae.* ℞. *Quam possedisti ab initio.*

℣. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.*

℞. *Sed citò anticipent nos misericordia tua.*

℣. *Elige Domine Dauid seruum tuum.*

℞. *Pascere Iacob, & Israel, hereditatem tuam.*

℣. *Emitte Spiritum tuum & c.* ℞. *Et renouabis faciem terra.*

℣. *Domine exaudi orationem & c.* ℞. *Et clamor meus & c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℞. *Et cum Spiritu tuo.*

## O R E M V S.

**D**omine qui corda nostri omnium, cui omnis voluntas loqui-  
 tur, & quem nullum latet secretum, ostende nobis què ele-  
 geris, accipere locum Ministerij, huius, in quo, pio in nos studio,  
 semper tibi placitus, familiam virtutibus instruat, & fidelitè  
 mentes



mentes, Spiritualium aromatum odore perfundat. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

1. Quâ supplicatione præmissâ, tres statim Disquisitores, viuo vòcis suffragio, à Capituli Præsidente, & Diffinitoribus Provincialibus, eligantur ex Capitularibus, non tamen ex Candidatis probabilitè præsumptis, qui ad secretum disquisitionis perpetuò tenacitè seruandum, erunt obligati.

2. Tandemq; ex præscripto Decreti Apostolici, ante quâlibet Electionem Constitutio, qualitates, & notas eligendorû, stabiliens, publice perlegatur.

3. Disquisitores autem Mensam occupent, disquisitioni, & scrutinio opportunam, quorum medius numerum suffragiorum, vnicuiq; collatorum, in vnâ chartam referat, alijs attentè advertentibus.

4. Suffragia verò ita scribantur, vt nomen Electi pateat omnibus, nomen autem eligentis, obsignetur, ita v.g. in hæc verba (*Ego Frater N. Guardianus Conuentûs N. exarentur in superficie schedulæ conuoluenda, & obsignanda, hæc verò (nomino, & eligo, in Ministrum Prouincialem Patrem Fratrem N.) scribantur in superficie plana, & patula.*

5. Præterea Electores ex præscripto Clementis VIII, & Innocentij XI, iuramentum de potiori, & digniori eligendo, voce intelligibili, sigillatim, in hac forma præstent. *Iuro quod serio velim, nominare, & eligere illum, quem propter vita sua probitatem, & experientiam, usumq; gubernandi scio, & iudico, maxime ultra omnes idoneum.*

6. Finitâ verò schedularum collectione (quas Electores, à Disquisitore nominatim, & ordinatè evocati, per seipso deferre, & in vnâ urnam iniicere debent) Pater Commissarius, omnes illas in superficiem Mensæ ex urna eiciat, ac omnia vota vnâ cum Disquisitoribus, ad calculum reducat.

Cognitoq; maiorem partem votorum in vnum aliquem non coivisse, Scrutinium eo vsq; repetatur, quoad aliquis vnanimi

mi maioris partis vocalium suffragio, rite, ac canonicè, electus fuerit.

7. Quando tamen ob perniciosam per integrum diem Electorum dissensionem, Prouincialis eligi non possit, integrum erit Commissario Generali, propriâ authoritate, iureq; ad se deuoluto, potiozem, digniozem, & vltra omnes, aptiozè, in Ministrum nominare, eligere, confirmare, & toti Prouinciæ præficere.

8. Factâque; tandem, & legitimè Completâ electione, illam Disquisitionis. Notarius, in hac forma promulget.

*In Nomine Domini, Amen.*

*Hac est Electio, Admodum Reuerendi Patris Ministri huius nostre Prouinciæ, per Frases vocales, in Loco N, capitulariter, ac Legitimè congregatos, Anno Domini, - - - Die verò - - - Mensis - - - Canonicè, & ritè celebrata. In qua quidem Electione, Pater N. habuit vota - - - Pater verò habuit &c. & sic deinceps ad Electū.*

9. Quo nominato subiungat. *Et ego vnus, ex Disquisitionibus, & Compromissarijs, virtute Compromissi, in me, & in socios meos limitati: nomine omnium, qui in dictam Electionem conueniunt, & consenserunt, præfatum Reuerendum Patrem N. Ministrū canonicè electum nomino, & sic electum denuntio. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritūs Sancti, Amen.*

10. Quâ Electione publicatâ, protinus in præsentia omniū, schedulæ comburatur, quod inuiolabiliter in omnibus Electionibus, iuxta Ordinationem Apostolicam observetur.

His peractis, Cantores Hymnum *Te Deum laudamus* intonent, qui ab omnibus personaliter in Ecclesiam euntibus, alternatim decantetur; vbi tandem infrascripti versiculi, & Orationes decantentur.

*℣. Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu.*

*℣. Laudemus & superexaltemus eum in secula.*

*℣. Confirma hoc Deus, quod operatus, es in nobis.*

*℣. A Templo Sancto tuo, quod est in Ierusalem.*

*℣. Fiat manus tua super virum dextera tua,*

*℣. Super,*

- R. *Super Filiam hominis quem confirmaſti tibi.*  
 V. *Dignare me laudare te Virgo Sacrata,*  
 R. *Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.*  
 V. *Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus &c.*  
 V. *Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.*

O R E M V S.

**O**Mnipotens ſempiternæ Deus, miſerere famulo Tuo Miniſtro Noſtro, & dirige eum, ſecundum tuam clementiam, in viam ſalutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiat, & totâ virtute perficiat.

Concede nos famulos tuos, quaſumus Domine Deus perpetuâ mentis & corporis, ſanitate gaudere, & glorioſâ Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triftitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

**D**EVS, qui Eccleſiam tuam, Beati Patris Noſtri Franciſci, meritis fatu nouæ proliſ amplificas, tribue nobis ex eius imitatione, terrena deſpicere, & cœleſtium donorum ſemper participatione gaudere. Per Dominũ noſtrũ &c. Am.

11. Actis porrò Deo Præpotenti gratijs, Præſes Capituli no-  
 vum Miniſtrum confirmet, & cæteris præficiat, ad quem in  
 ſella diſcumbentem, cuncti Fratres ordinatè accedant, eiq; ge-  
 nuflexi, conſuetum præſtent obſequium, ac obedientiam, &  
 reverentiam exhibeant.

12. Ne autem Patres, viriq; Capitulares, ſerò ſapiant,  
 totamq; Prouinciam ſummi detrimenti malum pati nè con-  
 tingat, neceſſe eſt, quod non cum Patres vocales in Miniſtrũ  
 nominent, qui ſeipſum commendat, vel inſinuat: neq; illum,  
 quem caro, & ſanguis, ſeu ſenſualitas, priuatumq; emolumentum  
 reuelant; ſed quem DEVS ipſe, doctrina, & probitas, cõ-  
 mendat, atque inſinuat, ſeu qui ſimul probus eſt, & probatus:  
 eo quod iam alias, Magiſtratum probauerit, & præclarè ad-

ministrauerit, neque tunc primum, Magistratus debet eum probare.

Qui proinde nunquam antea Ministri, aut Gvardiani Officium obijt, vel perperam administrauit, aut etiam per sententiam tali Officio fuit destitutus, ille in Ministrum nominari, & eligi non valeat.

### *De Diffinitoribus.*

#### *§ II.*

I. **E**lectio Custodis, & Diffinitorum Provinciae, eodem quo praecedens, ritu transigatur, excepto, quod in vna scheda, quatuor Diffinitores Provinciae, sine nominandi.

II. Quia tamen possit contingere, quod quatuor etiam, aut quinque Diffinitores, maiorem partem votorum haberent, eo casu, non ille, qui dignitate, aut aetate, verum qui numero suffragiorum praevalet, est praefendus.

III. Diffinitorum verò muneris erit, ad Gvardianorum, Vicariorum, & Magistri Novitiorum electionem, in Capitulo, & Congregatione Capitulari, (quae quotannis est celebranda) atque ad Tabularum Localium dispositionem, cum nouo, & immediatè praeterito Ministro, & Custode electo, concurrere. Eisdemq; incumbet, Praedicatorum, Confessarios, & Lectores, instituere, ac ardua quaeque maioris momenti, nostra negotia, pertractare, atque resignationes Officiorum, à Gvardianis, in Capitulo, & Congregatione, intermedia excipere.

IV. Nullum porrò in Provinciae Diffinitorem eligere licebit, nisi dotes, & qualitates ad Provincialatum requisitas habeat, parq; consilio, quo Minister, & dexteritate pari polleat, ab eodemq; Diffinitoratùs Officio, triennio vacaverit.

V. Vt verò Ministri Officium, ita & Officiù, Diffinitoratùs, cum Gvardianatu, sit omninò incompatible. Nullus proinde actualis Provinciae Diffinitor, in Gvardianù eligatur, duratq; ipsius

ipſius Officio, niſi penuria idoneorū, cōtrariū facere cōpelleret.

VI. Inſingulis Conuentibus, declarentur Diſcreti Locales, Pater Vicarius, Pater Prædicator, & alius Pater grauior, ſeu Senior, ſine quorum conſilio, nequeat Gvardianus, grauiora in Conuentu peragere.

*De Guardianis.*

§ III.

I. **G**uardiani, (quorum eligendorum Miniſter, & Diffinitores: confirmandorum autem, Præſes Capituli uendicant) non inſtituantur, niſi qui annum ætatis trigefimum, in Religione verò decimum exegerint, & qui vitæ communis ſint obſeruantiffimi, quiq; non verbis, aut commotione, ſed rebus, & zelo iuſtitia, authoritatem, humilitate verò, patientiâ, & benignitate, amorem ſubditorum ſibi concilient.

II. Illi verò, qui primâ vicè, in Officio probantur, non inſtituantur Gvardiani, niſi in Conuentu minus principali, & per annum tantum durent: idq; ſi de priori vitæ communis innocentia, aliquid remiſerint, nec in priori humilitate, & ſimplicitate perſeuerauerint, nunquam de cætero ad Gvardianatum, promoveantur.

III. Antiquior quoque Gvardianus, quantumuis rectus, & perfectus, nunquam ultra triennium, in eodem Conuentu præſideat.

Quicumque autem ob cauſas legitimas, ex Officio Superioratûs, per ſententiam fuit aliquando deſiſtus, deinceps in Superiorem Ordinarium non eligatur.

*Inhibitiones Electoribus ſeruandæ.*

§ IV.

I. **V**t grauiſſima, & Sanctiſſima Electionis Canonica actio, grauiſſe, & ſanctè tranſigatur, vniverſis Fratribus

tribus, in virtute spiritûs Sancti præcipimus, vt integris anterioribus. sex Mensibus, nullus quascunq̃ue subornationes, aut tractatus, de eligendis instituat. Contrafacientes autem, actibus legitimis, & suffragijs priuentur.

II. Quicumque pollicitationibus, precibus importunis, falsiq̃; laudibus, & Encomijs, aut fictis commendationibus, ad conferendum sibi, aut alteri; siue etiam ad non conferendum alicui suffragium, alios induxerit; ipso facto Excommunicationem Papalem incurrat, voceq̃; activâ, & passiuâ, in perpetuum sit privatus.

III. Pari ratione, & illi Excommunicationem Papalem incurrent, qui dignitates, honores, aut Officia, imò qui colloca-  
 406  
 tiones etiam in Conventibus determinatis, vel ab eis amotiones, medijs sæcularium fauoribus, directè vel indirectè, operâ personarum, extra Ordinem degentium procurauerint.

IV. Quemadmodum illi quoque Superiores, in eandem Excommunicationem incident, qui ad instantiam, cuiusquẽ tandem personæ extra Ordinem existentis, tales dignitates, vel prerogativas contulerint Quicumque igitur, de tali recur-  
 fu conuictus fuerit, actibus legitimis, ad arbitrium Capituli priuetur.

### *De Ministro.*

#### *§ V.*

I. **P**ater Minister, vniuersalis, & Ordinarius, totius Provinciae Prælati, Vniuersam Provinciam quotannis<sup>2</sup> duabus vicibus pedester peragret, & visitet, totusq̃; incumbat conseruationi primævæ strictioris Observantiæ, & abusibus rescindendis, omnes Conventus personaliter lustrâdo, & oculis singula perspiciendo, atq̃; non verbis, sed rebus, cuius malo, remedium adhibendo.

II Eandem autem Ordinariam, immediatam potestatem, Pater Minister in totam suam Provinciam vendicat, quam Episcopus, in Diocesim, de iure acquirit.

III. Eius

III. Eius proinde directioni, omnes Fratres è gremio Provincie immediate subijci, & ad nutum obsequi tenentur, nec vllus cuiuscunq; gradus, & conditionis, ab eius obedientia, eximi poterit.

IV. Eandem Ordinariam Iurisdictionem, & in foraneos, vel apostatas, & fugitivos, alienæ Provincie Fratres, Pater Minister habet, exercereq; tenetur, dum extra terminos suæ Provincie versantur,

V. Ad obviandum Fratrum evagationibus, malisq; inde resultantibus, Patres Ministri abstineant, quò ad fieri potest, à concedendis facultatibus ad peregrinandum, vel consanguineos conueniendos.

VI. Cùmq; aliquibus hæc facultas denegari non possit, in obedientialibus, tempus eorum reversioni, præfigatur.

Minister verò, in concedendis eiusmodi facultatibus, facilis, maximè extra Provinciam secedendi, à Patre Commissario, pro exigentia delicti puniatur.

VII. Qui autem extorquendæ huius facultatis causâ, minis, provocationibus, & continuis oblocutionibus, Superiorem vexaret, eum Superior, ad redimendam vexationem tradat in carcerem, in eoq; detineat, quamdiu non resipuerit. Dimissus autem, si post resipiscentiam, eandem turbationem repetierit, ad prolixiorem carcerem condemnetur.

VIII. Unde, qui ex nostris Fratribus adeò sunt instabiles, & inquieti, quod Provinciam pro diversorio, & hospitio habentes, non studio perfectionis, sed disciplinæ regularis odio, crebras mutationes, & translationes de Conventu, in Conventum, à Patre Ministro extorquent, iugumq; Obedientiæ revera non ferunt, sed in singulis Conventibus delibant, magnoq; sunt Fratribus offendiculo, & sæcularibus admirationi; hi nullo modo ex Conventu transferantur, quin potius, ad recollectionem seriam, & prolixam, per quatuor septimanas sequestrentur. Quo tempore generali Confessione præmissâ, exercitia spiritualia, aduertente, & instructe, Patre Spirituali instituant,

IX. Non

und mit  
in August

IX. Non solùm autem curandum est, vt Fratres Nostri rarissimè ædes sæcularium adeant, verùm etiam efficiendum est, vt Fratres, siue in subsidium Parochorum dimissi, siue mendicatum, per pagos circumvicinos exeuntes, tantoq; magis animi recreandi gratiâ profecti, vltra triduum non absint à Conuentu. Tardiùs autem redeuntes, pro tardationis ratione, ad arbitrium Superioris puniãtur. Superioresq; temerè licentiam à Conuentu diutiùs emanendi Fratribus concedentes, Officijs suis destituantur.

X. Præterea Fratres, facultatem extra Provinciam profiscendi, inconsulto proprio Ministro, à maioribus Superioribus impetrantes, annoq; integro manentes, in toto Ministeriatùs triennio, & in proximo Capitulo, ad omnem dignitatem Ordinis, sint inhabiles, novissimumq; quoad priuati fuerint, locum occupent.

XI. Ad hæc, Pater Minister, non prætermittat, cuncta Reformæ negotia, in Capitulo, Congregatione, & Diffinitorio, conclusa, in librum ad hoc destinatum referre.

XII. Quia verò cogeret quandoque Patrem Ministrum, inevitabilis necessitas, ad secedendum, & emanendum extra fines Provinciæ exire, eo casu Pater Minister, Commissarium, de consensu Diffinitorum instituat, qui vice ipsius Provinciã gubernet; semper autem Pater Minister vno itineris socio, sit contentus.

XIII. Patre autem Ministro, in Conuentu suæ Provinciæ è viuis sublato, localis Superior, vnâ cum Patris Ministri socio, si aderit, sigilla omnia, omnesq; scripturas, diligenter colligat, collectasq; & obsignatas, ad primum Provinciæ Patrem deferat, qui sine mora, conuocabit Diffinitorium, & eliget Vicarium Provinciale, in qua electione habebit votum actiuum, & passivum, consulto prius Patre Generali, si intra triduum adiri poterit, alias non; sed procedatur ad electionem, absq; eo quòd expectetur responsum.

XIV. At verò Ministro, extra fines Provinciæ è vita migrante



grante, Commissarius ille vices gerens Ministri eousque Pro-  
vinciam gubernet, quousq; Pater Generalis aliter non dispo-  
suerit, in casu, quo non fuerit Commissarius Generalis in Po-  
lonia.

C A P V T IX.

De Predicatoribus, & Confessarijs, ac de Exa-  
minatoribus.

De Predicatoribus.

§ I.

I. **Q**uoniam, qui primam inter Christianos Sa-  
cram concionandi artem exercere debet, ad hoc  
Divinitus electus est, vt oraacula, quæ ex ore Dei  
procedunt, populos cum utilitate, & ædificatione doceat.  
Ideoq; necesse est, vt Concionator sit doctus, & lectioni, &  
commentationi Sacræ Scripturæ deditus, & Orationi studiosis-  
simus, cum frigida, & devotionis expers Concio, gravitatem  
Evangelij multum dehonestat, plausumq; siue risum populi,  
non planctum promouet.

Ad quod stabiliendum præstat renouare aurea præcepta,  
ab ipso seraphico Instituteore nostro Sancto Francisco, nostris  
Concionatoribus tradita, in Opusculis Sancti Frãcisçi, Colla-  
tione 17. quam crebrò, Predicatores relegant, & recognoscãt.

II. Ministerium igitur momenti tam ponderosi, vt sum-  
ma fide, & Integritate dignis, duntaxat committatur, fiat in-  
stitutio Concionatorum, æquè & Lectorum, ac Confessari-  
orum, in Capitulo Provinciali, & Congregatione Capitulari.  
Institutiq; ab Examinatoribus, seriò, & accurato examine,  
probentur. In quem finem in Capitulo, vel Congregatione  
Capitulari, eligendi sunt aliqui Examinatores, ex Patrib' gra-  
vioribus, & doctioribus, ad quos pertinebit Predicatorum,  
Lectorum, Confessariorum, mittendorumq; ad Ordines, suf-  
ficientiam, explorare, quorum Officium, toto duntaxat tri-  
ennio durabit.

III. Quia verò, ex præscripto Sancti Institutoris Nostri, Concionatores nullis Officijs debent impediri, præcipitur vt nunquam deinceps Guardianus, Præfident, Vicarius, aut Magister Novitiorum, Officio Prædicatoris fungatur.

IV. Quo autem solidiori, & graviori fundamento, Concionatores nostri gratiam prædicandi exercent, biennio saltè Theologiam audiant.

Illi verò, qui penuriam, talium Concinatorum apud nos aduertentes, studijs vacare nolunt, & antequam sint discipuli, Magistri esse, vel potius videri cupiunt, seseq; in Cathedrali importunè, ingerere non verentur: hi non gaudeant, Concinatorum titulo, nec priuilegijs. Verum in hoc idoneorum Concinatorum defectu, vices tantum eorum suppleant.

V. Vt Concionatores Nostri, non verbo tantum, sed exemplo ad vtilitatem, & ædificationem prædicent, summam dent operam, vt primi sint ad sacrum Missæ Sacrificium quotidie cum multa deuotione offerendum, primi quoque sint, ad Orationem Mentalem instituendam, & exemplo Diui Bonauenturæ, & Sancti Antonij Paduani, primi sint ad exempla eximie humilitatis, & contemptus sui, de se præbenda: vasa proinde culinæ eluere, & Fratrum domicilia verrere, panem ostiatim mendicare, Concinatores, vti & Lectores, non erubescant.

VI. Toto præterea tempore, quod eis vltra Orationem, aliaq; pia exercitia superfuerit, lectioni grauiorum Authorum, studiosè incumbant, familiaritatesque proinde, tam Fratrum, quam sæcularium fugiant, & à secretis couenticulis, charitatis etiam, aut hospitalitatis, speciem præferentibus, abstineant. Feriantes autem, aut per ambitus, vel hortum, discurrentes, Orationisq; ac lectioni non vacantes, pœnis arbitrarijs, in ordinem redigantur.

VII. Et quoniam moderatio, seu discretio, Mater est Virtutum, & actionum honestarum, sine qua honestæ actiones, abeunt in inhonestas: idcirco Concionatores sollicitè procurent, vt semper examinata, & casta, ac sale discretionis condita sint, eorum eloquia.

Quocirca tamen non aliud argumentum, nec alius debeat esse Concionis scopus, nisi Auditorum à vitijs reuocatio, cohortatioq; ad virtutes, nouissimorumq; nostrorum seria inculcatio. Eam tamen materiam, ætati, ingenio, conditioni, studijs, & moribus Audientium, Cōcionatores prudenter, & discretè accommodent, atq; adeo, & temporis rationi conforment, tantāq; in concionando moderatione vtantur, vt neminem expressè, aut per circumlocutionem notent.

VIII. Caueant Concionatores, ne Statum aliquem maximè Regularem, aut personam quamcunque, ac præsertim in dignitate constitutam, nominatim obiurgent, aut per circumlocutionem proximam pungant. Conuicti autem, & confessi, hanc linguæ petulantiam, grauiter ad arbitrium Superioris, puniantur.

IX. Cum verò, prædicatio verbi Divini, quod penetrabilius gladio omni ancipiti, pertingat ad diuisionem vsquè animæ & Spiritûs, animos Auditorum debeat frangere, non demulcere: Ideo Concionatores nostri, non apologis, aut fabellis, nec faceris, lepidisq; dieterijs, aut verborum pigmentis concionem farciant, sed sacræ scripturæ sententijs, probatis traditionibus, authoritate Cōciliorum, & Sanctorum Parrum doctrinâ, suum & Auditorum intellectum, communiunt, mores conforment, & affectum ad deuotionem, compunctionem, vitiorumq; odium excitent, & maximè ad eorum criminum detestationem populos commoneant, quæ in hoc Regno passim impunè grassantur, vt sunt hæreses nefariæ, publicæ iniuriæ, vsuræ, furta, rapinæ, periuria, calumniæ, iudiciorum iniquitas, legum, & Magistratum contemptus, subditorum oppressio, maleficia, ebrietates impudentes, otium perpetuum.

X. Quia verò contingeret, Concionatorem gratiam prædicandi consecutum, literaturâ tamen etiam sufficienti destitutum, turpiter in oculis omnium errare, si suo fideret ingenio, & iudicio. Ideirco tales, suæ perniciosæ temeritati permissi, quidquid eis in buccam, aut cerebrum venerit, ex alto

temerè profundant, assuescant potius alicuius probati Auctoris Homiliam, siue Concionem loco, & Auditoribus, ac commodare, memoriæq; traditam, ex Cathedra declarare. Ad id Minister talem Concionatorem compellat, nolentemquè obedire concionari non permittat.

### De Confessarijs.

#### § II.

I. **C**vm Confessarij, seu Pœnitentiarij sunt animarum Curatores, & Medici: Ordinatur, vt illi tantum, qui in examine doctiores, ac in cernendis, & discernendis, peccatis instructiores & versatiores reperti fuerint, ad audiendas Confessiones admittantur: aptiq; ad Confessiones secularium excipiendas, Illustrissimo Loci Ordinario examinandi, & approbandi præsententur.

II. Nullus ad Confessiones, etiam Fratrum excipiendas, admittatur, nisi trigesimum ætatis annum exegerit, admisusq; ad eas ordinariè excipiendas, ille duntaxat censebitur, qui in Tabula, seu Cathalogo Fratrum, in Capitulo descripto, locum, & titulum Confessarij obtinet.

III. Vt autem Confessarij nostri instructiores sint, in Confessionibus audiendis, decernitur, vt singuli præ manibus habeant Libros Confessariorum instructiores, vtque in singulis Conuentibus, antiquior, peritior, & promptior, Pœnitentiarius, sit casuum Conscientiæ resolutor. Ad quem potissimum spectabit, tribus saltem in qualibet Septimanâ, vicibus conscientiæ casus examinandos, & resolvendos, Cōfessarijs proponere, & decidere.

IV. Quia verò peccata, & ægri tudines animæ, vitio quâdoque Confessariorum sunt incurabiles, eo quòd Confessarij, vel curare eas nesciunt, vel non audent: Idcirco cum ipsa animæ incurabilitas, seu incorrigibilitas applicatione remedij quâdoq; exasperetur; subtractione autem curetur; præcipitur,

vt Con-

vt Confessarij præsertim Fratrum nostrorum, eos pœnitentes, quorum infirmitas, post repetitas eorundem peccatorum Confessiones ingrauescit, cunctatione, & absolutionis dilatione curare teneantur.

V. Præterea Confessarij Fratrum, iuxta morè laudabilem in Reformatione receptum, ad defectus in Capitulo recognoscendos, Fratres, moneant, vt eos recognoscant, aut saltè priuatim Superiori recognoscere proponant; maximè illos Fratres, qui quandoque in Communitate, turbationem, causant, vel sensim relaxationem Observantiæ inducunt, seriò admoneant: illos autem, qui contra Rubricas, Rituumq; & quorumlibet, notabilium observantias ex malitia, & ex contemptu, passim delinquant, subtractione absolutionis, curare contendant.

VI. Vnusquisq; Fratrum nostrorum, duabus ad minimũ in septimana vicibus confiteatur, idq; Confessario, non ad libitum electo, sed à Patre Ministro specialiter pro Fratribus approbato, & à Loci Superiore sibi designato. Quicumque verò cuiuscunque gradus, & conditionis, ius eligendi gratum Confessarium sibi arrogauerit, graui arbitrariâ pœnâ, à Superiore puniatur.

VII. Fratribus pœnitentibus, pœnam etiã carceris luentibus, quotiescunq; voluerint, & copiam confitendi petierint, nunquam ea copia denegetur. Nunquam Fratribus licitum est, cuiquam Presbytero, extra Reformationem confiteri, prout Constitutione Apostolicâ cauetur, præterquam in extremo necessitatis articulo.

VIII. Pater Minister, procuret tempestiuè, vt in vnoquoque Provinciæ suæ Conuentu, vnus saltè Pœnitentiarius, habeat facultatem absoluendi ab hæresi. Cùmque conuersio Hæreticorum ad Fidem Catholicam, gaudium impleat orthodoxorum, eorum ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ redeuntium nomina, in vnum Catalogum referantur, ac Sacræ Congregationi quotannis transmittantur.

## CAPVT X.

*De modo in Visitationibus obeundis, à Superioribus obseruando.*

I. **S**uperiores quibus gravissimum visitandi negotium ex iure incumbit, nequaquam per excursum, peruolando, & instar apum delibando, functionem gravissimi momenti, obeant. Verùm pro Conuentuum, Personarum, & actionum, qualitate, & exigentia, lentè, firmiter, & attentè singula quæque loca, & Personas, per seipsos visitent, omnes actiones ponderent, & mala etiam impendencia, prænoscant, ac præuideant.

II. Ac inprimis, meminerit Visitator, quod & ipse alijs Superioribus, & legibus subiaceat, perpendatque illam Sententiam, quam Prælati in ore habent, *Melior est obedientia, quàm victima*, non subdito, sed Principi, & Superiori, fuisse propositam, eo quod, non minus ille legibus, quàm ipse subditus parere adstringatur.

III. Quare tametsi Prælati Regularis ad Iuris apices non teneatur vigore Cõcessionis Pontificiæ: ad substantiales tamen iuris naturalis condiciones, siue terminos, in iudicio seruãdos omninò obligatur, quæ quidem condiciones enumerantur.

*Prima est*, Quòd nunquam Inquisitio specialis contra aliquem nominatim instituatur, nisi iudicijs vehementibus, vel infamiã publicã gravaretur, aut per iuridicam delationem, ad inquirendum Iudex excitaretur.

*Secunda*. Præcedente etiam denuntiatione Iuridicã, ad sententiam condemnatoriã non descendatur, nisi adfuerit vnum saltem testimonium iuridicè examinatum, aut indicia manifesta; quorum defectu reus etiam præensus, ad respondendum iuridicè non tenebitur. Quo non obstante, licet Iudex ob denuntiationem iuridicam ad sententiam non possit procedere, potest tamen, imo & debet, excitari ad specialem iuridicam

judicam denuntiationem ineundam, testimonio etiam atq; iudicijs deficientibus. Præcedente tamen solâ denuntiatione fraternâ & Evangelicâ, (cûm hæc denuntiatio prodesse debeat, non obesse) Superior ad specialem inquisitionem, contra denuntiatum, non debet procedere.

*Tertia.* Nullus vnquam inauditus, inconfessus, indefensus, & absens est condemnandus, nisi fortè ad præsentiam Prælati advocatus contumaciter comparere noluerit.

*Quarta.* Reo copia suam innocentiam probandi, seq; defendendi præstetur.

*Et hæc quidem Substantiales Conditiones, seruandæ sunt in Inquisitione, & processu, aduersus noxas grauiores, ex quarum patefactione, infamia resultat.*

IV. Defectus proinde veniales, aut minus graues, quorû manifestatio infamiam non generat, conditionibus prædictis non seruatis, deferre licitum est, & correctioni fraternæ expediens.

V. Quicumque autem, graue aliquod, & infame crimen, per viam accusationis, in iudicio detulerit, quod per duos idoneos testes legitimè probare non posset, pœnâ talionis puniatur nisi crimen esset in Iure exceptum, aut difficilis probationis, quod tamen nunquam per viam accusationis, sed per viam denuntiationis, est manifestandum. Cûm forma accusationis Iuridicæ, Religiosorum Reformatorum, paci, & tranquillitati minimè videatur expedire.

VI. Et quidem licet in Processuum formatione, testiumquè examine, Pater Visitator, duos Patres ex Discretis Conuentûs Assessores, debeat assumere, Fratrum tamen delationes, tam fraternas, quam Iuridicas, solus Pater Visitator, absq; suo etiam Secretario, debet excipere.

VII. Quamuis autem iuxta doctrinam magis receptam, Fratres iuridicè denunciare teneantur crimen, etiamsi sit occultum; quod neque vno teste probare possint, quando præsertim delictum in tertiæ personæ perniciem, aut infamiam

Ordinis

Ordinis vergeret; & quando denuntians, criminis testis esset oculatus, non auritus. Verùm crimen dubium, atq; à leuibus, & fide minus dignis auditum, deferri iuridicè non potest.

VIII. Quia verò crimina atrocia, quæ in sæculo morte punirentur atroci, semiplenè contra aliquem proteruè, ea negantem probata, vel vrgentibus indicijs semiplenæ probationi æquivalentibus euicta, afflictione, & arctatione, à Regularibus sunt extorquenda: ideo præcipitur, vt loco arctationis, afflictio carceris præsertim de fuga suspectis infligatur, omnesque arctationi subiecti, ieiunijs, & disciplinis, manu alterius graviter inferendis, ad veritatem dicendam arctentur. Quæ tamen arctationis afflictio, indefensis non infligatur, carceris custodia exceptâ, idq; si de fuga sint suspecti.

IX. Quando verò crimine plenariè probato, & euicto reus nihilominus proteruè delictum pernegat, ille non est arctandus ad veritatem dicendam: sed per sententiam, ad poenam à iure statutam condemnandus. Reo tamen etiam plenissimè conuictò, defensionis locus non denegetur: copiaq; processûs authentica, cum eam petierit, eidem exhibeatur.

X. Quemadmodum Visitator cavendo summopere, nè accusato & inquisito Fratri temerè Fama auferatur, singulas allegationes, & probationes accuratè debet expendere, præsertim vero, omnes rei defensiones accusationes, & exemptiones, odio omniq; aliâ passione seclusâ, studiosè debet discutere. Ita vicissim delinquens, de delicto legitimè, plenèque conuictus, pœnam humiliter subire non detrectet, neq; ab ea tentet appellare, appellanti autem poena, conduplicetur.

XI. Neq; verò conuictis tantum, aut in iudicio confessis, appellatio de iure communi est interdicitâ: verùm etiam appellatio, à correctione, & reformatione obseruantia, atq; à mandatis, imò & à quibusuis Superiorum grauaminibus Regularibus, Iure Pontificio, priuato, est vetita.

XII. Fratribus tamen Superiorum excessiuis, & manifestis grauaminibus oppressis, causa querelæ (quæ Superioris  
graua



grauamen inferentis non suspendit Iurisdictionem) licitum, est ad Maiores Ordinis Superiores recurrere, imò cùm grauamen Superioris fuerit certum, & irreparabile, licebit à Superiore provocare.

XIII. Quando tamen Fratribus nostris appellatio permittitur, illa secundùm Decretum Congregationis Cardinalium Anno Domini 1587. editum, hoc ordine interponatur, à Guardiano videlicet, ad Ministrum Provinciale, à Provinciali, ad Generalem, à Generali, ad Protectorem, & ab hoc, ad Cardinalium Congregationem, ac deniq; ad Summum Pontificem. Cuius Decreti est tenor iste.

*Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminētem criminum admissorum pœnam, ex suis Constitutionibus, aut alias debitam sibi metuant, falsa, & commentitia grauamina causati, non immediate ad sui Ordinis Superiores, scilicet, à grauamine Guardiani, ad Prouincialem; à Prouinciali, ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cuiusq; Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Curiam Romanam, absq; licentia sapius fugiunt, quàm recurrunt, ex quo, Ordinum disciplina relaxatur, Prelati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt: placuit Sacra Rituum Congregationi, ex Ordinatione Sanctissimi statuere: ut si quis Regularium, in posterum temerè, & leui ex causâ, hanc Almam Urbem, seu Curiam, absq; sui Superioris licentia, & supradictâ formâ, prætermisâ, adire præsumserit, ad suos eosdem Superiores, seu riori pœna plebendus, remittatur.*

Ex quo Decreto colligitur, enumerata duntaxat Tribunalia esse iuxta Ordinem. Quare Tribunalia Episcoporum, Cardinalium, Legatorum; habentium etiam authoritatem, à Summo Pontifice cognoscendi causas etiam Religiosorum, sunt Tribunalia extra Ordinem.

XIV. Quicumque igitur Ordinem appellacioni præfixum, transilire præsumserit, ad decursum trium mensium incarcerationetur.

Qui verò à suis Superioribus, ad Tribunalia extra Ordinem

nem appellare ausus fuerit, actibus legitimis priuatus existat, & in carcerem conijciatur, nec eliberetur, nisi ab appellatione destiterit.

XV. Cùm verò Frater quispiam iniustè iudicatus, ad appellationis remedium conuolauerit, eo casu Iudex primæ instantiæ copiam processûs consignatam, ad Iudicem secundæ instantiæ remittat, facultate Superiorem adeundi, appellanti in scriptis concessâ, nisi appellans de fuga valde esset suspectus, tunc enim processus tantùm Superiori maiori esset transmittendus, appellans autem sequestrandus.

XVI. Quod si compertum fuerit, appellantem indebitè ab inferiori Prælato fuisse iudicatum, vel quoquo modo grauatum: Prælatus ille in appellantem iniurius, à Maiori Prælato, graui animaduersione feriat, si verò friuolam appellationem fuisse constiterit, interponenti illam, dupla pœna inferatur.

### *De Visitatione.*

I. **Q**uod verò ad generalem Visitationem attinet, eam Visitator aggressurus, primo post aduentum die, Missam de Spiritu Sancto celebrabit. Et cum Visitatio opem, & castigationem significet, Visitator prius se Patrem, Patronum, imo seruum omnium demonstret, ita vt cuncti possint, ei dicere, & facere sicut Domini seruo suo.

II. Primis itaq; ad minimum duobus diebus, ab itineris iactatione conquiescens, cum omnibus versetur, quasi Pater cum liberis, desiderium suum omnes exaudiendi, omnibusq; opiculandi, & satisfaciendi, omnibus modis, sáluâ Visitationis gravitate, testetur. Omnia interim occultè per seipsum circûspiciendo, & annorando.

III. Tandemq; die competenti, ad Fratres, capitulariter congregatos exhortationem charitate plenam habeat, Visitationem indicet, de modoq; & forma in ea, iuxta Constitutiones Generales obseruanda, admoneat.

IV. Visitationem à templo ordiatur, videatq; an Venerabile

rabile Eucharistiæ Sacramentū, sub fideli custodia, in Tabernaculo, intūs deaurato, benè, & percōmodè clauso recondatur, & alia circa hanc custodiam, Cōstitutionibus, Ordinis Generalibus piè sancita, exactè obseruentur. Inspiciat quoque, an & Sacrum Oleum, æquè cautè custodiatur; Visitet Reliquias Sanctorum, Sedes Confessariorum, Sacristiam, & omnem Ecclesiasticam supellectilem, prospiciatq; an in ea sit aliquid pretiosum, superfluum, & curiosum, quod continuò amoueat. Necessaria tamen, ad cultum Diuinum superant, eaq; sint nitida, & perquam decentia. Ad quam decentiam, cum nitor, & decor, Altarium vniformis pertineat, prouideat Visitator, vt Canones, pulvini, pallia, & linreamina, omnium Altarium sint omnimodè vniformia.

V. Post hæc verò, omnes Conuentūs Officinas visitet, ac imprimis valetudinariū adeat, infirmosq; consoletur; in quibus Officinis, si superfluitatem, & excessum aduerterit, ad alios Conuentūs superflua remittat. Si verò defectum, & penuriam in cellario, vel Culina offenderit, Deum benedicat. Defectum tamen, in Infirmaria rerum ægris Fratribus necessariorum non ferat, sed pro posse illum, provisione suppleat.

VI. Principaliter autem perquam impensè, & prolixè de interno Communitatis, & singulorum Fratrum progressu, inquirat, seorsim singulos accersendo.

VII. Vt autem Pater Visitator, in hac generali Visitatione ea duntaxat inquirat, quæ & ipse exigere, & Fratres requisiti propalare licitè possunt, praxim Visitorum Regularium consulat, & obseruet, ac iuxta Catalogum, interrogatorium in Statutis Ordinis Generalibus descriptum, ex singulis pro sua prudentia, hæc, vel illa roget, & percunctetur.

VIII. Ac imprimis sciscitetur, an in illa Communitate seruentur Præcepta Dei, ac maximè primum illud, & maximum, ex quo omnis lex pendet, & Prophetæ, cuius solius plena obseruantia teste S. Hieronymo: veros efficit Religiosos, & Monachos: transgressio verò, Monasteria conuertit, in tartara, habitaco-

bitatores verò facit abire in dæmones. Inquirat itaque diligenter: An sit aliquis ibi in charitate defectus, & an aliqua discordiarum, seditionum, cōspirationū, & factionum, aut singularitatū, semina, iaciantur.

*Secundò.* An vota essentialia, obedientiæ, castitatis, & germanæ nobis altissimæ Paupertatis, obseruentur.

*Tertiò.* An Superioribus amor, & reuerentia, exhibeatur, & debita reddatur obedientia, quæ nervus est disciplinæ Regularis, & an quempiam Superiori maleuolum, inobediens, & irreuerentem noverit.

*Quartò.* Quærat de accurata ad præscriptum Daclarationum Nicolai III. & Clementis V. Regulæ Nostræ eiusq; præceptorum obseruantia, quorum pleraq; ad sinceram altissimæ Paupertatis obseruantiam ordinantur.

An videlicet recursus ad pecuniam instituat, vel indifferentes pecuniæ deponantur, aut superflua, pretiosa, & curiosa, recipiantur.

An etiam mendicatio ostiaria, instituat? Cultura horti exerceatur? iter pedestri profectioe absq; provisione absoluat? Item an super omnia Spiritum Domini, & Sanctâ eius operationem habere omnes contendant, mediante sedulo; & feruenti Mentalis Orationis exercitio, & an ad Orationem Mentalem, & alios chori actus, feruentè accuratur? Deinde inquirat etiam, an Divinum Officium devotè, & studiosè, nocturnum æquè ac diurnum, tractim, cum debita pausa, persolvatur? Insuper an ieiunia, ex Regula præscripta, ab omnibus exactè obseruentur.

*Quintò.* An silentium, maximè post Examen Conscientiæ, Vespertinum, vsq; ad Primam strictè seruetur? Et an Fratres, solitudinem ament? in cellulisq; suis, semper solitarij manean.

*Sextò.* Seruenturnè exactè Statuta, Ceremoniæ, Decreta, & Ordinationes, à Superiorib<sup>9</sup> traditæ, & speciatim, Decreta Sacri Concilij Tridentini, CLEMENTIS VIII. & VRBANI VIII, pro Reformatione Regularium facta.

*Septimò.*

*Septimo.* Inquirat, an Superior sit exemplaris, vitamque communem, per quam stabilitur charitas, & humilitas, exactè sectetur, æqualitatemque in victu, & Vestitu, sanus cum sanis, infirmus cum infirmis, seruet. An præcepta Regulæ obseruet, & præcipue: An pecuniæ (quæ potissima est Professionis nostræ corruptela) sit execrator: An etiam peregrè constitutus, in pedestri profectioe secum dispēset? Item an auctoritatē suam placidè tueatur? non pendendo ex arbitrio cuiuspiam, & maximè non sinendo se à suis phantasijs, passionibus, & affectibus regi? An verbo, doctrinā, correctione, Fratres in Officio contineat, statisque diebus Capitulum recognitionis culparum, præmissā oratione, & sepositā passione celebret?

An citra omnem personarum acceptionem, habitā ætatis, languoris laborisque; ratione, omnium necessitatibus iuxta statūs nostri condecens provideat, simulque; inuestiget? An in Spiritu lenitatis, subditos regat? ita vt etiam delinquentes, se ipsi committere, singulique; suos etiam cogitatus, tentationes, ac secretiores defectus, pandere non dubitent? An, verò in Spiritu potiùs commotionis, subditos gubernet? ita vt subditi, non audeant ipsum adire, ei que; confidenter cor suum, suasque; corporales aperire necessitates.

*Octauo.* Requirit, quomodo Officiales se gerant, in suis Officijs, An scilicet sinant se regi, à Locali Superiore, sintque; fideles, pii, humiles, & Officiosi, nec honores mutent eorum mores?

*Nono.* Singulos examinet, quem fructum ex spiritualibus exercitijs reportent? atque; de modo, & praxi Mentalis Orationis, & de praxi Præsentis Dei, mortificationisque; passionum, singulos examinet, ac maximè in domo Nouitiorum, & in Conuentibus studiorum.

*Decimo.* Inuentaria omnia revideat, Archiuiaque; Conuentus, perlustret, & librum, inquem eventus notabiles referuntur percurrat. Ad extremum, vt inoffenso pede, grauissimam Visitationem, Pater Minister decurrat, praxim Visitatorum

calleat, libellumq; verè aureum, Superiorum instructorium, de sex Alis Seraphim, à Seraphico Doctore, S. Bonaventura editum, & notas boni animarum Rectoris, à Seraphico Institute nostro descriptas, crebrò legat, addiscat, & executioni mandet.

## C A P V T XI.

*De sollicita suspecti consortij fuga.*

I. **M**emorabile valde præceptum extat in prima Sanctissimi Institutoris Nostri Regula, vbi his verbis Capite XII. Consortia suspecta Seraphicus Pater. inhibuit: *Omnes Fratres ubicunq; sunt & vadunt, caueant sibi à malo visu, & frequentia mulierum, & nullus cum eis consuetur solus: Sacerdos honestè loquatur, cum eis dando pœnitentiam, vel aliud spirituale consilium, & nulla penitus mulier, ab aliquo Fratre recipiatur, ad obedientiam, sed dando sibi consilium spirituale, vbi voluerit agat pœnitentiam, & multum omnes nos custodiamus, & omnia membra nostra teneamus. quia dicit Dominus: Omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est cum ea, in corde suo.*

Quibus profecto verbis censuit Seraphicus Pater, Fratres nostros ex approximatione, aspectu, & colloquio, piarum etiam mulierum, id plerumq; lucrari, quod paleæ ex approximatione, ad ignem lucrantur.

II. Cùm igitur à fœminarum etiam piarum aspectu, & colloquijs, fortis quoque Religiosi spiritus infirmetur, caro quoque alioquin edomita accendatur, & nitor mentis, etiam pudicæ maculetur. Idè inhibetur seuerè, ne vllus vnquam Frater, privatim fœminam alloqui præsumat.

III. Sacristæ verò ianitores, quæstuarij, & itinerantes, caustissimè, honestissimè, & brevissimè fœminas alloquantur, & alloquentib; respondeant, verba tamen cum fœminis, vltro, citroq; non faciant. Præsertim Sacrista, qui si aliquândo solus cū sola fœmina confabulari, nullo præsentis in Ecclesia, aut extra

Ecclesi.

Ecclesiam, præsumeret, tâquam de graui suspicione, notatus. in pane, & aqua ieiuret, & poenâ arctationis puniatur.

IV. Pariterq; cæteri Fratres, cum fæminis sermonem cõferentes, in pane, & aqua ieiuent. Admonitiq; colloquia similia non declinantes, vltra panam prædictam, probationis caputium, ad decursum septem dierum deferant.

V. Confessarij, ne in sermones fæminarum se insinuent, confessione earum exceptâ datâq; eis breuissimâ salutaris instructione, eas deinceps non alloquantur.

VI. Quia verò honestati, minimè congruit, in loco ab arbitris remoto, aut post solis occasum, aut extra sedes Confessariorum, fæminæ cuiuscunq; confessionem excipere. Idcirco hæc omnia cauenda sunt, summoperè.

VII. Quod si verò quispiam auditurus Confessionem, adolescentis, & benè valentis fæminæ secessum captaret; ac solitudinem, & in loco ab arbitris, semoto eius Confessionem, longo, & insueto tempore exciperet, tanquam ille, qui de consortio grauiter suspecto puniatur.

VIII. Cuius etiam honestatis accuratè seruandæ studio, ordinatur: vt quicumque Fratrum, siue ad Confessiones infirmarum fæminarum excipiendas, siue ad alia negotia tractanda, foras exierit, nunquam ita à socio diuellatur, quin audiens Confessionem ab eo videri, pertractans autem negotia, audiri, non possit. Cõtrauenientes autem ad arbitriũ Superioris puniantur, pro exigentia, leuis, aut grauis suspensionis,

IX. Strictè præterea inhibetur, ne vnquam ex reformatis nostris, Cõfessarius Ordinarius, Sanctimonialiũ instituatur.

Curam etiam, & regimen quarumcunq; deuotarum fæminarum, vitam virginalem agentium, aut castitatem colentium, nullus administret.

X. Quod si verò, quispiam fæminam, quamcunq; incõsulto Superiore ad obedientiam recipiendo, conscientia ipsius directionem, veluti hæreditario iure sibi contingeret, semper conaretur retinere, nec sine molestia, & turbis è Cõuentu illo

tu illo possit amoveri: ille sine mora, è Cõventu illo relegetur.

XI. Vt autem incauti quidam Cõfessarij intelligant, quod ex conversatione, atque adeo ex spiritali piarum etiam, ac Deo dicatarum fæminarum directione, fama Religionis Nostræ in apertum adducatur discrimen; iudicium de hoc Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ, in Expositione Regulæ consulant, qui præclare censet, suspectum esse consortium, conuersationem, & colloquium, non cum suspecta tantum, vel ad malum propensa, aut parata: verumetiam cum honesta Matrone, institutum, si præsertim tempore, loco, atque à personis quo ad ætatē suspectis, & modo inhonesto cõferretur.

Vnde de tali consortio grauitè fore eum suspectum censet Doctor Seraphicus, qui ad miscendum cum fæmina etiam honestissima, præsertim ætatis adolescentioris colloquium, locum ab arbitris remotum, seu secretum, & solitarium, aut obscurum, vel tempus nocturnum, siue horam huic colloquio opportunã captaret, quã horã v. g. nullus Fratrum, ex choro, vel Refectorio, exire posset, idq; si inhonestè, hoc est non demissis oculis, nec vultu verecundo, longoq; tempore, ac gestu dissoluto, colloquium misceret, non obstante inquit, Doctor Seraphicus, quòd illud colloquium de pijs actionibus, & exercitijs, profectu spiritali, haberetur.

XII. Quando verò quispiam honestatis Religiosæ adeo esset immemor, quòd à socio sequestratus, cum suspecta, & illecebrosa, ad malumq; propensa, & parata fæmina, ex se alias lubricus, in loco latenti, per horam, aut amplius, solus hareret, ille tanquam is, qui vehementi, & granissimã suspicionem infamiæ æquivalenti laboraret, iurisq; præsumptione reus æstimaretur, si inquisitus iuridicè; crimen pernegat, ad veritatem dicendam arctetur.

XIII. Præterea Fratres nostri itinerantes, atq; ad sæcularium ædes divertentes, quo ad fieri potest, illecebrosis sæcularium recreationibus, cantionibus, videlicet chorejs, & id genus mundanis solatijs nunquam intersint.



XIV. Cumque sobrietas, & parsimonia, mater sit honestatis, & pudicitiae: ideo Fratres nostri parcè, ad mensam secularium comedant, & bibant, neque finito prandio, (actisq; Deo gratijs) mensae assideant, nec potationibus pomeridianis, frivolisq; & otiosis sermonibus, adesse praesumant, sub poena arbitraria, quam sanè euadent, si doctrinam speculi Divi Bonaventurae Cap. 33. observabunt.

XV. Si quis autem (quod absit) finitâ refectione non, solum mensae assideret, verum more aliorum, compotantium haustus aequales evacuet, triduo in pane, & aqua ieiunet.

XVI. Ad praeripiendas autem intemperantiae occasiones praecipitur, ut nullus in posterum tam subditus, quam Superior, in Civitate, vel suburbij vbi Conventus nostri habentur, comedere, vel bibere, crematum, aut vinum audeat. Cerevisiam verò sobriè, non nisi in casibus necessitatis possunt uti. Quicumque autem contrarium fecerit, in pane, & aqua ieiunet, & disciplinae flagella, sibi inferat, vel graviori poenâ mulsetur, pro Superioris arbitratu, vel scandali exigentia.

XVII. Superiores Locales dissimulantes, vel licentiam concedentes, vel ipsimet statutum hoc violantes, à Patre Ministro, poenâ praedictâ afficiantur. Socij quoque transgressorum huius Statuti, iuxta antiquas huius Ordinis Constitutiones, transgressores, quemadmodum & alios scandalosos, tenebuntur. ad suos deferre Superiores, non praemissa, etiam priuatâ correctione fraternâ, alioquin ipsimet iisdem poenis subiaceant. Eapropter socijs strictè praecipitur, ut sub poena arbitraria, delinquentes socios ad Superiorem deferant, & si socius dissociaretur, ut biberet, maliciosam huiusmodi sequestrationem manifestent.

XVIII Verum si (quod Deus auertat) contingeret aliquem inebriari, pro primâ vice, tribus diebus in pane, & cerevisia publicè ieiunet. Quod si denuò ebrietatis crimen repetierit, illi poenitentia praedicta duplicetur. In Conventu verò, si ita indiscretè biberint, propter quod notoria, Reformatio indigna,

gnâ, cōmiserint, vel dixerint; cogantur culpam recognoscere, & disciplinam sibi adhibere. Si autem formaliter inebriati fuerint, vltra prædicta, in pane, & aqua, macerentur. Superiores ebriosis conniuentes, suis priuentur Officijs, vel aliâ arbitrariâ poenâ à Patre Ministro puniantur, nisi poenas impositas executioni mandari fecerint.

XIX. Renovatur præterea Statutū Ordinis nostri Generale, vt si quis adeo scurrilis evaderet, quod solemne esset ipsi, atq; usitatum, & quasi connaturale, verbis, dictionibusq; vti faceris, obscænis, & scurrilibus, ille veluti graueolens spurcitiei sentina, ab oculis, & occurſu honestorum Fratrum arceatur, atq; ad arbitrium Superioris incarcerationetur.

XX. Ne autem suspectis consortijs ansam præbere, aut etiam illa tolerare oporteat, præcipitur districtè, vt nullus ex nostris Fratribus exorcizationes, siue coniurationes, aduersus dæmones, personas arreptitias, agitantes, exerceat. Neque vllus vnquam personas maleficijs, ac veneficijs petitas, & detentas, exorcizatione, liberare attentet, sine expressa Patris Ministri licētia, de Diffinitorum Provinciae consilio, & assensu concedenda; contravenientes autem, triduo in carcere marcerentur. Pecora tamen, aut fruges, vel cereuisiam, & alia id genus maleficijs excantata, benedicere, & aqua lustrali aspergere, non est Fratribus interdictum.

## CAPVT XII.

*De accurata harum Constitutionum obseruantia.*

I. **Q**uoniam vt hæc Statuta ab omnibus promptè obseruentur, non sufficit nouo, & speciali statuto, eorum obseruantiam præcipere, cum infirmitas humana nitatur in vetitum. Idcirco vltra hoc quod districtè præcipiatur, vt quæcunque hisce Cōstitutionibus mandantur, aut vetantur, decernunturq;, & ordinantur, cuncti ad amussim obseruent, nè locus sit infirmorum excusationi, quod nō habeant

habeant quem sequantur. Ipsi inprimis zelosis Superioribus, harum Constitutionum fautoribus, defensoribus, & promotoribus, perquam impensè commendatur, vt ipsimet cæteris omnibus exactâ harum Cõstitutionum obseruantia præluceant, suoq; exemplo alios præeant, atq; ita clarè ostendat iustitiam harum Constitutionum, in hoc, quod & ipsi per eas seipso dirigant. Rursusq; demonstrent, earundem Constitutionum svauitatè in hoc, quod illi ipsi libenter illas seruent.

II. Uniuersos igitur Superiores, vehementèr in Domino hortamur, ac sub poenâ suspensionis ab Officijs, aut etiam, eorum priuationis præcipimus, vt omni curâ, & sedulitate, verbo, & exemplo obseruantiam harum Constitutionum, promoveant.

III. Ne autem, ab obseruantia harum Constitutionum prætextu ignorantia inculpata transgressores excusentur, iungitur omnibus Localibus Superioribus, sub poena priuationis Officij, vt quotannis duabus adminus vicibus, hæ Constitutiones, communis refectionis tempore legantur.

Decreta quoque, seu Ordinationes, autoritate Sanctissimi Domini nostri VRBANI VIII. pro Reformatione Regularium edita, iuxta præscriptum earundem Ordinationum, duabus in anno vicibus, in publica mensa perlegantur.

IV Declaratur autem, quod quemadmodum præcepta Superiorum non obligant ad culpam, dum actiones ex sua specie indifferentes, non in virtute sanctæ Obedientiæ præcipiuntur, aut prohibentur; ita & Constitutiones istæ non obligant ad culpam, cum actiones indifferentes, & supererogatorias pari ratione iniungunt, aut vetant; nisi in contemptum omitterentur.

V. Præterea admonemus Fratres nostros, quod Statuta, ista, non tunc tantùm in vigore, & obseruantia manebunt, cum à subditis non infringentur; verùm etiam tunc, in vi sua, flore, vigore, & viridi obseruantia, permanebunt, quando, qui ea transgreditur, castigatur.

Quod monitum est S. Bonaventuræ in Libro de Sex Alis Seraph. Alâ primâ, vbi ait: *Inter Religiones Reformatas, & relaxatas, est differentia, non, quod in relaxatis peccetur, in Reformatis minimè; hoc namque prorsus fieri nequit, quia in multis offendimus omnes, sed quod in Reformatis, qui Regulam, & Statuta infringit, castigatur, & reprehenditur; in relaxatis nequaquam.*

Quare Superiores non dissimulent, nec conuincant delinquentibus. Fratres autem, vbi primum Statuta in minutis etiam violauerint, antequam Superior resciat, culpam suam coram Superiore, recognoscant, poenitentiamq; poseant, & libenter exoluant.

VI. Insuper, cum præter hos casus quibus hisce Constitutionibus prouidetur, & occurritur, multi alij hinc prætermisisti emergere soleant: præmonentur Superiores, vt recurrant ad Generales Ordinis Nostri Constitutiones, legitimas sanè, & exactissimas, ac in omnibus quæ strictiori Observantiæ, & Decretis, pro Reformatione factis non aduersantur, ad earum præscriptum procedant.

*Confirmatio præinsertarum Constitutionum.*

FR. PAVLVS à Lauda Ordinis Minorum strictioris Observantiæ, Provinciæ Seraphici Patris Nostri S. FRANCISCI Super Reformationes Regni Poloniæ inclyti, Commissarius Apostolicus.

**B**enedictus Dominus DEVS Israel, qui secundum misericordiam suam magnam respicere dignatus est Reformationem hanc procellis, ac tempestatibus agitatum, atque vexatam, Pastoribus, & Legibus destitutam, dispersam, & dissipatam, ac tandem ei apto, optatoq; remedi-

remedio, subvenit, eam clementer replantando, & redimendo, atque in pristinum suum statum reducendo.

Eapropter Divinâ eâdem favente pietate, sedulam dedimus operam, vt opportunis Legibus ex Pontificijs, Sacrisq; Concilij Decretis, nec non ex Generalibus Ordinibus, & Reformationum Statutis, & primævis harum Reformationum Constitutionibus depromptis, communiatur, vt in posterum, in viam pacis, & prosperitatis, feliciter, ac tutè, dirigeret gressus, vitia devitando, virtutes acriter insectando. Quæ quidem Statuta, & Leges, in Capitulo Cracoviensi, ad Sanctum CASIMIRVM, Anno Dñi 1638. coram omnibus Locorum Superioribus, & alijs Patribus fuerunt à Nobis proposita, disquisitione sanè trutinata, & examinata, atque ideò liberè vnanimi omnium prædictorum consensu, merito acceptata. Idcirco Spiritûs Sancti imprimis auxilio invocato, Apostolicâ authoritate, ea confirmamus, & à tota Reformatione hæc, Minoris Poloniæ, recipi, & inviolabiliter observari mandamus. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Ego Fr. PAVLVS à Lauda Commissarius Apostolicus, mp.

Ego Fr. Bonauenturâ Dzierzanovius eiusdem Reformationis Custos, mp.

Ego Fr. Cypryanus Gozdeccus eiusdem Reformationis Pr. mp.

Ego Fr. Bonaventura Zagovius Discretus Custodia, mp.

Ego Fr. Laurentius Iacubovius Discretus Custodia, mp.

Ego Fr. Albertus Sudovius Discretus Custodia, mp.

Ego Fr. Valerianus Bienkovius Guardianus Casimiriensis, mp.

Ego Fr. Angelus Zaclincinensis Guardianus Becensis, mp.

Ego Fr. Hippolytus Iovicianus Præsidentis Præmysliensis, mp.

Ego Fr. Hyacinthus Prævorscensis Præsidentis Conuentus Zaklicienensis, mp.

Ego Fr. Antonius Mayskovic Præsidentis Cöuentus Solecensis, mp.

Ego Fr. Simeon Stavinienſis Præsidentis Cöuentus Gliu.ensis, mp.

Ego Fr. Petrus Lesionski Guardianus Cöuentus Leopoliensis, mp.

Ego Fr. Bernardus Gorski Conuentus Vielicensis Vicarius, mp.

**N**Os itaq; infrascripti vigore Compromissi in proximè præterito Capitulo, Nobis ab omnibus Patribus<sup>o</sup> Provinciae, & Patribus<sup>o</sup> vocalibus dati, hæc omnia Statuta, revidimus, si qui errores per manuscriptores irreplerant, corrigimus. Statuta modernis Pontificum Ordinationibus contraria, expunximus, essentialia omnia præcepta Regulæ, atq; vota Religionis, (maximè altissimam minoriticam Paupertatè) stabilientia, in suo integro robore conservauimus. Reverendisq; Patribus Provinciae, ac toti Venerabili Diffinitorio, in moderna Cögregatione, ad perpendendū exhibuimus: quæ exhibita, approbata, & ratificata sunt, subscriptioneq; totius Diffinitorii, & vniuscuiusq; Compromissarij, atq; Sigillo Provinciae roborata. Datum in Conventu Stobnicensi, ad S. Mariam Magdalenam die 26 Iunij. Anno Domini, 1687.

Fr. Daniel Brykner Compromissarius Exguardianus Leopoliensis, mp.

Fr. Iacobus Zagerouius Diffinitor actualis, mp.

Fr. Marius Nizynkovius Diffinitor actualis, mp.

Fr. Clemens Rakovius Diffinitor actualis, mp.

Fr. Ignatius Cetnarouius Diffinitor actualis Compromissarius, mp.

Fr. Andreas Niedzwieccius Custos & Cöpromissarius, mp.

Fr. Ludouicus Rozycyus Provinciae Pater, mp.

Fr. Valerianus Rzewuscus Provinciae Pater & Compromissarius, mp.

Fr. Ioachimus Stanzel Minister Provincialis, mp.



I N C I P I T  
 D E C L A R A T I O  
 D . N I C O L A I  
 P A P Æ T E R T I I ,

*Super* REGVLAM Fratrum Minorum.

P R O L O G V S  
 N I C O L A V S E P I S C O P V S

Servus servorum DEI, ad perpetuam rei  
 memoriam.



*E*st qui seminat seminare semen suum, de sinu Pa-  
 tris inmundum, veste, scilicet humanitatis indutus DEI  
 Filius IESVS Christus; verbum Evangelicum saturus in  
 singulos, probos, & reprobos, insipientes, & gnaros, stu-  
 diosos, & desides. & iuxta Prophetam colonus futurus in  
 terra, semen suum, doctrinam scilicet Evangelicam, sine delectu disper-  
 sit in omnes: qui omnia tracturus ad se, omnes salvare venerat, qui tan-  
 dem seipsum DEO Patri pro salute omnium in redemptionis humanæ  
 pretium immolavit. Licet autem hoc semen in singulos communica-  
 tiua DEI charitate dispersum, aliud ceciderit secus viam, super corda sci-  
 licet dæmonum suggestionibus peruia; aliud supra petram, corda scilicet  
 nullo fidei vomere penetrata; aliud inter spinas, corda scilicet hominū,  
 divitiarum sollicitudinibus lacerata: & ideo vnum pravis affectibus con-  
 culcatum; aliud aridum, quia gratiæ carebat humore; reliquum verò le-  
 gitur inordinatis sollicitudinibus suffocatum: aliud tamen mitis cor &  
 docile, terra bona suscepit.

2. Hæc est Minorum Fratrum mitis & docilis in paupertate ac hu-  
 militate per alium Christi Confessorem Franciscum radicata Religio:

quæ

quæ ex illo verò semine germinans, germen illud sparsit per Regulam in filios, quos sibi, & Deo per suum ministerium in obseruatione Evangelij generat. Isti sunt filij, qui docente Iacobo, *Verbum æternum, Dei filium, infans* humanæ naturæ in horto virginalis vteri potens salvare animas, in mansuetudine susceperunt. Hi sunt illius sanctæ Regulæ Professores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Hæc est apud Deum & Patrem munda & immaculata Religio: quæ descendens à parte luminum, per eius Filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita; & demum per Spiritum sanctum Beato Francisco, & eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Hæc est, cui, attestante Paulo, *nemo de cætero debet esse molestus*, quam Christus passionis suæ stigmatibus confirmavit, volens Institutorem ipsius passionis suæ signis notabiliter insigniri.

3. Sed nec sic contra ipsos Fratres Minores & Regulam hostis antiqui cessabit astutia: quin potius contra eos nitens super seminare zizania, interdum æmulatores agitados invidia, iracundia, & indiscretâ iustitiâ concitavit; mordentes Fratres, & eorum Regulam quasi illicitam, inobseruabilem, & discriminofam, caninis latratibus lacerantes: non attendentes, hanc sanctam Regulam, ut prædicitur, præceptis ac salutari bus monitis institutam, Apostolicis obseruationibus roboratam, & etiam per Sedem Apostolicam confirmatam; tot Divinis testimonijs communitam, quæ credibilia facta sunt nimis, in tot sanctis viris in obseruantia huius Regulæ agentibus, & finientibus dies suos; quorum nonnullos sanctorum cathalogo Sedes eadem, ex eorum vita & miraculis fecit adscribi; ac novissimè quasi diebus istis per piæ memoriæ Gregorium Papam IX, prædecessorem nostrum approbatam esse, ex evidenti utilitate, quam de ipsa consequitur vniuersalis Ecclesia, in generali Lugdunensi Concilio extitit declaratum. Nec nos minùs, attendim⁹ imò profundius cogitamus, sicut pensare debent subtiliùs cæteri Catholicæ Fidei professores, quòd ipse Deus Ordinem prædictum & eius obseruatores inspicens, sic eos ab insurgentibus in ipsos rancoribus salutari præsidio præseruauit, quòd nec ipsos fluctus tempestuosos allisit, nec animos in Ordine ipso degenti in cõsternauit: quin potius in vigore regulari concreuant, & amplientur in suorum obseruantia mandatorum.

4. Verumtamen ut Ordo prædictus, quibuslibet præcis anfractibus, distinctâ & purâ vigeat claritate, sicut Fratres eiusdem Ordinis



dinis nuper in generali Capitulo congregati prouiderant, dilectis filijs Generali, & nonnullis alijs Prouincialibus eiusdem Ordinis Ministris, qui in Capitulo ipso conuenerat, in nostra presentia constitutis; cum ad plenam obseruationem Regulæ eiusdem, in vigore spiritus eorum feruere noscatur intentio: visum est nobis, mordacibus huiusmodi mordendi vias præcludere; & aliqua; quæ in ipsa Regula videri poterant dubia, declarare; nonnulla per Prædecessores nostros declarata pleniori claritate differrere; in aliquibus etiam Regulam ipsam contingentibus, puritate eorundem conscientiarum prouidere.

5. Nos autem qui à teneris annis ad Ordinem ipsum affectus nostros creximus, in illis succrescendo, cum aliquibus eiusdem Confessoris socijs, quibus eius vita & conuersatio nota erat super ipsa Regula & sancta ipsius Beati Francisci intentione frequenti collatione tractauimus: & tandem Cardinalis, ac postmodum eiusdem Ordinis per prædictam Sedem Gubernator, Protector & Corrector effecti, condiciones prædicti Ordinis ex imminente nobis cura palpauimus; in Apostolarum officio, tam in pia intentione Confessoris prædicti, quam de his quæ Regulam ipsam, & eius obseruantiam contingunt, ex prædictis longa etiam experientia informati, nostros ad Ordinem præfatum conuertimus cogitatus: & tam ea quæ per prædecessores eosdem approbata & declarata esse noscuntur, quam etiam Regulam, & eam contingentia, maturitate plena discussimus: nonnulla in presenti serie statuimus, declarauimus, certius approbauimus, approbata confirmauimus, edidimus, concessimus; plura etiam ordinando seriosius & clarius, quæ infrascriptis articulis plenius exprimuntur.

## I. ARTIC: REGVLÆ.

### *De obseruantia Euangelici consilij & præcepti.*

I. **J**Nprimis, quia (sicut intelleximus) ab aliquibus hæficatur, an Fratres eiusdem Ordinis tam ad consilia, quam ad præcepta Euangelij teneantur: tum quia in Regulæ prædictæ principio habetur: *Regula & vita Minorum Fratrum hac est. scilicet Domini nostri Iesu Christi Sanctum Euangelium obseruare, videndo in obedientia, sine proprio & in castitate.* tum ex eo quod in eadem Regula continetur sic: *Finis vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & Regulam obseruare.* tum etiam quia in fine ipsius Regulæ continen-

tinentur hæc verba: *Paupertatem & humilitatem ac Sanctum Evangelium Do-*  
*mini Iesu Christi quod firmiter promissimus, obseruemus.* Licet fel. rec. Grego-  
 rius Papa IX. prædecessor noster. hunc articulum, & nonnullos eiusdem  
 Regulæ declarauit: quia tamen eius declaratio propter aliquorum insur-  
 gentium in Fratres, & Regulam, inordinatos vel mordaces insultus, &  
 multorum postea emergentium casuum considerandos eventus, in aliqui-  
 bus obscura, in aliquibus semiplena, & in multis etiam contentis in ipsa  
 Regula, insufficientis videbatur: nos obscuritatem, ac insufficientiam hu-  
 iusmodi, perfectæ interpretationis declaratione amouere volentes, & cu-  
 iuslibet ambiguitatis scrupulum in eisdem de singulorum mentibus ple-  
 nioris expositionis certitudine amputare, dicimus, quod cum in princi-  
 pio Regulæ non absolutè, sed cum quadam modificatione, seu determi-  
 natione, seu specificatione ponatur, *Regula & vita Minorum Fratrum hæc, est*  
*scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium obseruare, viuendo in obe-*  
*dientia, sine proprio & in castitate,* quæ tria eadem Regula multum arctè  
 prosequitur; & nihilominus alia nonnulla subnectit, præcipiendo, pro-  
 hibendo, consulendo, monendo, hortando, & sub alijs verbis ad aliquem  
 modorum reducibilibus prædictorum. de intentione Regulæ liquere va-  
 leat apertius, vt illud quod in Professione quasi absolutè subnecti videtur  
*Promittentes vitam istam semper & Regulam obseruare* & quod in fine subiun-  
 gitur: *Et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi quod firmiter promissimus,*  
*obseruemus:* totum ad ipsius Regulæ modificatum, vel determinatum, seu  
 specificatum principium reducatur, videlicet ad obseruantiam Euangelij  
 (vt prædicatur) per ipsam Regulam in illis tribus modificatam, vel de-  
 terminatam, siue specificatam: cum non sit verisimile, ipsum sanctum,  
 verbum ab ipso semel cum quadam modificatione seu specificatione pro-  
 latum (licet quasi succinctoriè repetitum) voluisse in sua repetitione da-  
 ta sibi per eum modificatione, vel determinatione, seu specificatione,  
 sine certa causa carere, & vtriusque Iuris argumenta nos doceant ea quæ  
 in principio ad mediū. & ad finem; illa verò quæ in medio, ad finem, atque  
 principium; & ea quæ in fine, ad vtrumque, vel eorum alterum sæpè re-  
 ferri Et dato quod absolutè diceretur. *Promitto sanctum Evangelium obser-*  
*uare:* nisi professor huiusmodi intenderet se ad omnium cõsiliõrum ob-  
 seruantiam obligare (quod vix aut numquam possit ad literam obserua-  
 re), propter quod talis promissio illaqueare profitentis animum videretur  
 clarè videtur promissionem huiusmodi alium intellectu absque in-  
tentione promittentis non debere perstringi, nisi vt obseruantia Evange-  
 lij sit.

lij sit sicut tradita reperitur à Christo: videlicet, quod præcepta vt præcepta, & consilia vt consilia à promittentibus obseruentur. Quem intellectū etiam in eisdem verbis habuisse, idem Beatus Franciscus in serie sui processūs in Regula patenter ostendit, cū aliqua Evangelica consilia inducat vt consilia, sub verbis monitionis, exhortationis, & consilij; nonnulla verò sub prohibitione, ac verbo præcepti. Per quòd patet, quòd non fuit loquentis intentio, quòd Fratres ex professione huiusmodi Regule ad omnia consilia, sicut ad Præcepta Evangelica tenerentur, sed solum ad illa consilia, quæ in eadem Regula præceptorie, vel inhibitorie, seu sub verbis æquipollentibus sunt expressa.

*Ad qua consilia Evangelica Fratres ex Professione teneantur.*

**V**Nde nos ad Fratrum eiusdem Ordinis conscientias plenarie seruandas declaramus, quòd ex Professione eiusdem Regule Fratres ipsi ad ea tantum Evangelica obseruanda consilia sunt adstricti, quæ in ipsa Regula præceptorie, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur. Ad nonnulla verò alia per Evangelium data consilia, eò magis secundū exigentiam sui statūs tenentur plus quam cæteri Christiani, quòd per statum perfectionis (quem per Professionem huiusmodi assumpserunt) se obtulerunt Domino holocaustum medullatum, per contemptum omnium mundanorum. Ad omnia autem quæ in ipsa Regula continentur, tam præcepta, quam consilia, quàm cætera ex voto Professionis huiusmodi non aliter tenentur, quam eo modo quo in Regula ipsa traduntur: vt scilicet teneantur ad eorum obseruantiam, quæ in eadem Regula ipsis sub verbis obligatorijs indicuntur. Cæterorum verò obseruantiam, quæ sub verbis monitorijs, exhortatorijs, informatorijs, & instructorijs, seu quibuscumque alijs continentur, eateus magis concedet de bono & æquo eos prosequi, quo imitatores tanti Patris effecti, Christi semitas arctius elegerunt.

II. A R T I C.

*De obseruantia paupertatis & abdicatione proprietatis.*

**I.** Porro cū ipsa Regula expressè contineat, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sicque

fitque declaratum per eundem prædecessorem nostrum Gregorium IX. & nonnullos alios, hoc seruari debere tam in speciali, quam in communi, quam sic arctam abdicationem venenosis obtrestationibus aliquorum insensata deprauauit asturia: ne Fratrum eorum dem perfectionis claritas talium imperitijs sermonibus laceretur, dicimus, quòd abdicationis proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum, meritoria est & sancta: quam & Christus, viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit; quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè viuere, per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos in eos deriuarunt.

2. Nec his quisquam putet obsistere, quòd interdum dicitur, Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus còdescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret. Sic infirmorum personam Christus accepit in loculis, sic in nonnullis alijs infirma humanæ carnis assumens ( prout Evangelica testatur historia ) non tantum carne, sed & mente còdescendit infirmis. Sic enim humanam naturam assumpsit, quòd in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in proprijs permansit excelsus. Sic & summæ charitatis dignatione ad actus quosdam nostræ imperfectioni conformes inducitur, quòd à summæ perfectionis rectitudine non curuatur. Egit namque Christus & docuit opera perfectionis, egit etiam infirma, sicut interdum in fuga patet & loculis: sed vtrumque perfectè perfectus existens, vt perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui vtrosque saluare venerat, qui tandem mori voluit pro vtrisque.

*Summa hæc abdicationis omnis proprietatis, licita est & meritoria.*

3. **N**ec quisquam ex his infargat erroneè, quòd taliter propter Deum proprietas omnium abdicantes, tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei, viuendi discrimini se còmittant. Sic enim seiplos committunt Diuinæ prouidentia in viuendo, vt viam non contemnant prouisionis humanæ, quin *vel de hijs que offeruntur liberaliter, vel de hijs que mendicantur humiliter, vel de hijs que conquiruntur per laboritium sustententur*, qui triplex viuendi modus prouidetur in Regula expressè. Perfectò si ( iuxta promissum Saluatoris ) nunquam deficiet Fides Ecclesiæ: per consequens

quens nec opera bona subtrahentur. Ex quo Christi pauperibus omnis ratio differentiae cuiuslibet videtur esse sublata. Et quidem ubi (quod non videtur aliquatenus praesumendum) haec cuncta deficerent: sicut nec caeteris, sic nec ipsis Fratribus iure poli in extremae necessitatis articulo, ad providendum sustentationi naturae, via omnibus extrema necessitate detentis concessa praeccluditur; cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta.

4. Nec talem abdicationem proprietatis omnimodae, renuntiationem vsus rerum cuique videatur inducere. Nam cum in rebus temporalibus sit considerare praecipuum, proprietatem, possessionem, usum fructum, ius utendi, & simplicem facti usum; & ultimo tamquam necessario egeat (licet primis carere possit vita mortalium:) nulla prorsus potest esse professio, quae a se usum necessariae sustentationis excludat: verum condecens fuit ei professioni, quae sponte deuotit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario vtu fore contentam. Nec per hoc quod proprietatem vsus, & rei cuiuscunque dominium a se abdicasse videtur, simplici vsui omnis rei renuntiasse conuincitur: qui, inquam, vsus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in vtendo praebet vtentibus, nihil iuris. Quinimò necessariorum rerum tam ad vitae sustentationem, quam ad officiorum sui status executionem (excepto quod de pecunia infra subiungitur) moderatus vsus, secundum eorum Regulam, & veritatem omnimodam, concessus est Fratribus; quibus rebus Fratres licite vti possunt, durante concedentis licentia, & iuxta quod in praesenti serie continetur.

5. Nec his obuiare dignoscitur, quod civilis prudentia in humanis rebus humane constituit; videlicet non posse usum, vel usum fructum a dominio perpetuo separari; quod ne dominium dominis (semper abscedente vsu) redderetur inutile: temporalem utilitatem tantum in constituyendo prospiciens, ista decreuit. Retentio namque dominij talium rerum cum concessione vsus facta pauperibus, non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad aeterna, & professioni pauperum opportuna; quae tanto sibi censetur utilior, quanto commutat temporalia pro aeternis.

6. Profecto non fuit Confessoris Christi Regulam instituentis intentio, rerum quarumlibet usum necessarium abdicare; quinimò contrarium in ipsa conscripsit contrarium viuendo seruauit: cum & ipse temporalibus ad necessitatem vsus fuerit, & in pluribus locis in Regula vsum talem licet Fra-

re Fratribus manifestet. Dicit namque in Regula, quòd *Clerici faciant Divinis in Officiis, ex quo habere poterunt Breuiaria*: ex hoc patenter insinuans, quòd Fratres sui habituri essent vsum Breuiarij, & librorum qui sunt ad Divinum Officiis opportuni. In alio quoque capitulo dicit, quòd *Ministri & Custodes pro necessitatibus infirmorum: & alij Fratribus induendū, per amicos spirituales sollicitam curam gerant, secundum loca & tempora, & frigiditas regiones, sicut eorum necessitati viderint expedire*. Alibi etiam exhortans Fratres per congruam laboris exercitiū ad otium euitandum, dicit, quòd *de mercede laborū pro se & suū Fratribus corporis necessaria recipiant*. In alio quoque capitulo continetur, quòd Fratres vadant pro eleemosina confidenter. Habetur etiam in eadem Regula, quòd *in prædicatione quam Fratres faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia, ad utilitatem & adificationem populi: annuntiando eū vitia & virtutes, pœnam & gloriam*. Sed constans est, quòd hæc præsupponunt scientiam, scientia requirit studium, exercitiū verò studij conuenienter haberi non potest sine vsu librorum. Ex quibus omnibus satis claret ex Regula, ad victum, vestitum Diuinum cultum, & sapientiale studium, necessariarum rerum vsum Fratribus esse concessum.

Pater itaque sanè intelligentibus ex prædictis, Regulam quo ad abdicationem huiusmodi, non solum obseruabilem, possibilem, & licitam; sed meritoriam & perfectam; & eò magis meritoriam quo per ipsam professores ipsius magis à temporalibus propter Deum, (sicut prædicatur) elongantur.

### III. A R T I C.

#### *Cui competat dominium rerum Fratribus concessarum.*

I. **A**D hæc cum Fratres ipsi nihil sibi in specialia acquirere, vel eorum Ordini possint etiam in communi; & eum aliquid propter Deum ipsis offertur, conceditur, vel donatur, ea (si secus non exprimat) offerentis, concedentis, vel donantis, verissimiliter credatur fuisse intentio, vt rem huiusmodi oblatam, concessam, vel donatam, perfectè concedat, donet, & offerat, à se abdicet, at in alios transferre cupiat propter Deum; nec sit persona inquam loco Dei congruentius huiusmodi rei dominium transferatur, quàm Sedes præfata, vel persona Romani Pontificis, Christi Vicarij; qui pater est omnium, & Fratrum Minorum nihilominus specialis; ne talium rerum

rerum sub incerto videatur esse dominium; cum patri filius suo modo, seruus domino, & Monachus Monasterio, res sibi oblatas, concessas, vel donatas acquirant: omnium utensilium & librorum, ac eorum mobiliū presentium & futurorum, quæ & quorum usum (facti scilicet) Ordini vel Fratribus ipsis licet habere, proprietatem & dominium (quod etiam felicis recordationis Innocentius Papa IV. Prædecessor noster fecisse dignoscitur) in nos & Romanam Ecclesiam Apostolica auctoritate recipimus; & ad nos, & ipsam Ecclesiam plenè & liberè pertinere hac presenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus.

2. Præterea loca empta de eleemosynis diuersis, & oblata, seu concessa Fratribus, sub quacumque forma verborum (licet Fratres sibi caueæ debeant, quòd in huiusmodi verbis statui suo incompetentibus non utantur) à diuersis seu pro indiuiso possidentibus, seu certas partes in ipsis locis habentibus, in quibus ipsi possideantes pro indiuiso, seu certas partes habentes, nihil sibi in oblatione seu concessione huiusmodi reseruarint: similiter in ius, dominium ac proprietatem nostram & Ecclesiæ prædictæ, eadem auctoritate suscipimus.

3. Loca verò seu domos pro habitatione Fratrum à singulari persona, vel Collegio ipsis Fratribus ex integro concedenda, seu etiam offerenda, (si talia de voluntate conferentis Fratres inhabitare contigerit) perseverante tantum cõcedentis voluntate inhabitent: ac illa liberè (præter Ecclesiam & oratoria ad Ecclesiam destinata, & cœmeterium, quæ tam præsentia, quàm futura, in ius & proprietatem nostram, & prædictæ Romanæ Ecclesiæ, simili modo & auctoritate recipimus) mutatâ concedentis voluntate, ac ipsis Fratribus patefactâ, dimittant; in quorum locorū dominio seu proprietate nihil nobis, vel præfatæ Romanæ Ecclesiæ retinemus omnino: nisi ea specialiter de nostro seu ipsius Romanæ Ecclesiæ recipiantur assensu. Etsi in eisdem locis reseruauerit dominium sibi concedens; propter inhabitationem Fratrum, tale dominium in ius Ecclesiæ sæpè dictæ non transeat, sed porius plenè liberum maneat concedenti.

4. Insuper nec utensilia, nec alia, quorum usum ad necessitatem, & officiorum sui statûs executionem licet habere (non enim omnium rerum usum habere debent, ut dictum est) ad vllam superfluitatem, diuitias seu copiam, quæ derogat paupertati, vel ad thesaurizationem vel eo animo, ut ea distrahant, siue vendât, recipiant; nec sub colore providentiæ in futurum, nec alia occasione: quinimò in omnibus appareat in eis quo ad dominium, omnimoda abdicatio, & in usu necessitas. Hoc autem se-

tem secundum exigentiam personarum, & locorum, Ministri & Custodes simul, & separatim in suis administrationibus & custodijs, cum discretione disponant: cum de talibus interdum personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumstantiæ, plus minusve, ac aliter prouideri requirant. Ista tamen sic faciant, quod semper in eis & eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum Regula inuenitur indicta.

## IV. ARTIC.

### De Eleëmofynis pecuniarijs.

I. **C**eterum, cum in eadem Regula sit sub præcepti distributione prohibitum, ne Fratres recipiant per se, vel per alios denarios, vel pecuniam, vilo modo; idque Fratres in perpetuum seruare cupiant, & velut iniunctum necesse habeant adimplere: ne ipsorum puritas in huiusmodi obseruatione præcepti maculetur in aliquo, & ne Fratrum conscientia aliquibus aculeis stimulentur; articulum istum propter detrahentium morsus profundius, quàm nostri Prædecessores fecerint, assumentes, ac ipsum clarioribus determinationibus prosequentes: dicimus imprimis, quod Fratres ipsi à mutuâ contrahendâ abstineant; cum eis mutuum contrahere, (ipsorum statu considerato,) non liceat. Possunt tamen ipsi pro satisfactione faciendâ, pro eorum necessitatibus quæ pro tempore occurrerint (cessantibus eleëmofynis, de quibus satisfieri commodè tunc non posset) citra cuiuslibet obligationis vinculum dicere, quod per Eleëmofynas, & alios amicos Fratrum ad solutionem huiusmodi faciendam intendant fideliter laborare. Quo casu procuretur à Fratribus, quod ille, qui dabit Eleëmofynam per se, vel per alium non nominandû ab ipsis si fieri poterit, sed ab eo potiùs iuxta suum beneplacitum assumendum, huiusmodi satisfactionem faciat in totum, vel in partem prout Dominus sibi inspirabit.

2. Si tamen ipse hoc nollet facere, vel non posset, vel quia recessus eius imminet, aut quia quibus velit eômittere notitiam non habeat fidelium personarum, seu quacumq; aliâ occasione vel causâ: declaramus & dicimus, quod in nullo Regulæ puritas infringitur, aut quomodolibet ipsius obseruantia maculatur, si Fratres ipsi alicuius, vel aliquorum sibi curent dare notitiam, vel aliquos, seu aliquem nominare, aut etiam presentare, cui, vel quibus, si eleëmofynam facienti placuerit, committi possit ex-  
cutio



cutio prædictorum, ac ipsius habeatur assensus super subrogationibus infra scriptis. Ita tamen, quod penes ipsum dantem dominio proprietate, ac possessione ipsius pecuniæ cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam, semper visque ad conuersionem ipsius in rem deputatam plenè, liberè, ac integrè remanentibus, in ipsa pecunia nihil omninò Fratres iuris hebeant, nec administrationem seu dispensationem; nec contra personam nominatam, vel non nominatam ab eis cuiuscumq; conditionis existat in iudicio, vel extra, actionem, prosecutionem, aut aliquod ius, qualitercumq; persona prædicta in commissione huiusmodi se habeat. Liceat tamen Fratribus suas necessitates insinuare ac specificare, vel exponere personæ prædictæ, ac eam rogare quòd soluat. Possunt etiam personam eandem exhortari ac inducere, quòd fideliter in re commissa se habeat, & animæ suæ saluti in commissa sibi executione provideat. Ita tamen, quòd ab omni eiusdem pecuniæ administratione, seu dispensatione, & contra prædictam personam actione seu prosecutione, (vt prædictum est) Fratres abstineant omni modo.

3 Si verò personam huiusmodi nominatam, vel non nominatam à Fratribus, (quo minùs per se posset exequi quod prædicatur) contigerit per absentiam, infirmitatem, voluntatem, seu locorum distantiam, ad quæ ipse nollet accedere, in quibus esset solutio seu satisfactio facienda, vel per occasionem aliquam impediri: liceat Fratribus cum conscientiæ puritate quantum ad vnã aliam personam subrogandam ad præmissa in nominando, & alijs (si ad primum dantem non possint vel nolint habere recursum) cum ista persona facere, sicut supra declarauimus eis licere cum prima, Duarum enim personarum ministerium per viam subrogationis (vt prædictum est) communiùs & generalius videtur posse in prædictorum executione sufficere, cum prædicta satisfactio præsumatur posse celeriter expediri. Si tamen interdum propter locorum, distantiam, in quibus satisfactio esset facienda, & condiciones seu circumstantias alias, casus emergeret, in quo videretur plurium personarum subrogandarum ministerium opportunum; liceat ipsis Fratribus in hoc casu iuxta negotij qualitatem (seruato modo prædicto) plures personas assumere, nominare, seu præsentare, ad istud ministerium exequendum.

*De necessitatibus futuris.*

4. **E**T quia oportet & expediat Fratrum necessitatibus, non solum illis, pro quibus iam esset solutio seu satisfactio facienda, vt (suprà proximè dictum est) sed etiam imminentiùs, siue tales necessi-

cessitates ingruentes immineant, quæ brevi tempore expediri valeant; siue tales, licet pauca comparative, quarum provisio ex sui conditione necessario tractum temporis habet; vt in libris scribendis, Ecclesijs, seu ædificijs ad vsum habitationis ipsorum construendis, libris, & pannis in locis remotis emendis, & alijs similibus, si quæ occurrerint cum moderamine supradicto, salubriter prouideri, sicut in istis necessitatibus clarè distinguimus, sic in alijs Fratres posse tutè & salua conscientia procedere declaramus; videlicet vt ingruenti vel imminente necessitate, quæ breui tempore, vel quæ interdum in aliquibus circumstantijs non sic breui (vt supra in proximo casu dictum est) valeat expediri, tam quo ad dantem eleemosynam, quàm quo ad nominatum vel substitutum, in omnibus, & per omnia (sicut in articulo solutionis pro necessitatibus præteritis faciendæ supra proximè declarauimus) procedatur.

§. In ea verò necessitate, quantumeunque præsentialiter ingruenti, quæ tamen ex qualitate sui, vt prædicatur, tractum temporis habet annexum; quia in eo casu verisimile est, quòd tum ratione distantie locorum, quam expeditio necessitatis ipsius ex sui conditione requiret; tum etiam circumstantiarum ipsius necessitatis ratione pensata, frequenter casus acciderent, in quibus ad expeditionem necessitatis huiusmodi oppor-teret, quòd per diuersas manus, & personas transiret pecunia, necessitati huiusmodi deputata, quarum omnium personarum impossibile quasi esset dominum principale pro ipsa necessitate pecuniam deputantem, seu etiam substitutum ab eo, & tertium etiam ab ipso substituto, (si casus talis accideret) postea subrogatum, habere notitiam: declaramus & dicimus quòd in hoc articulo, præter dictos duos modos in necessitatibus præteritis, & ingruentibus quæ possint breui tempore, vel interdum non breui (vt supra exprimitur) expediri, vt prædiximus, obseruandos, ad conservandam ipsius Regulæ ac professorum eius omnimodam puritatè: quòd si præstò sit eleemosynæ huiusmodi largitor, vel eius nuntius, qui possit hoc facere, & velit; expressè prædicatur illi à Fratribus, quod si placeat, vt dominio talis pecuniæ cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam penes ipsum semper vsque ad conversionem ipsius in rem deputatam libere remanente, (vt in alijs duobus casibus superius dictum est) per quorumcumque manus pecunia seu eleemosyna ipsa tractetur, siue per personas ab eo, vel à Fratribus nominatas; totum suo consensu, voluntate, ac auctoritate procedat Quo assensum suum præbente prædictis, securè Fratres se emptà; vel acquisitã de illa pecunia

per quemcumque (iuxta modum annotatum superius) uti possint.

Ad maiorem autem prædictorum omnium claritatem, hac in perpetuum valitura prouisionis seriè declaramus, quòd Fratres præfatis modis (ut prædicimus) circa pecuniam, in supportandis eorum præteritis & ingruentibus necessitatibus obseruatis, non intelligantur, nec dici possint per se, vel per interpositam personam pecuniam recipere, contra Regulam & Professionis sui Ordinis puritatem: cum manifestè pateat ex præmissis, ipsos Fratres non solùm à receptione, proprietate, dominio, siue usu ipsius pecuniæ, verùm etiam à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea penitus alienos.

*Quid faciendum, si Dator eleemosyna meriatur.*

6. **I**N eo verò casu, quando antequam ipsa pecunia in licitum rei habendæ vel vtendæ cõmercium sit conversa, concedentem pecuniam mori contigerit; si concedens in concedendo dixerit, vel expresserit, quòd persona deputata pecuniam ipsam in necessarium usum Fratrum expenderet, quidquid de ipso concedente viuendo, vel moriendo contingeret, siue concedens huiusmodi hæredem reliquerit, siue non, possint Fratres ad personam deputatam (non obstante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicut poterant, ad ipsum dominum concedentem.

*Quid agendum de pecunia, qua superest, habita necessitate determinata.*

7. **Q**uia verò puritatem ipsius Ordinis intima cordis affectione zelamus, cum in prædictis casibus ad determinatam necessitatem (ut prædicitur) per aliquem pecuniam concedi contingerit; concedens pecuniam rogari possit à Fratribus, quòd si quid de pecunia ipsa (habita necessitate determinata) supererit, consentiat ipse concedens, quòd residuum præfate pecuniæ in res alias pro alijs ipsorum Fratrum prædictis necessitatibus, conuertatur. Quo non consentiente prædictis, ipsum residuum, (si quid fuerit) restituatur eidem. Caueant tamen Fratres, quòd solícite se coaptent, ut non plus scienter concedant, quàm verisimiliter æstimari possit rem necessariam, pro qua pecunia ipsa conceditur, valituram.

Et quia in prædictorum seriosa expositione, à dante vel recipiente,

de facili possit errari, ut clariùs vtilitati dantium, puritati Ordinis, simplicitati aliquorum simplicium, saluti animarum, hinc inde securiùs cõsulatur: intellectum illum, qui satis in hoc casu à sanè intelligente percipitur, præsentis & in æternum vâlituræ constitutionis seriè lucidamus; volentes illum ad communem deduci notitiam, videlicet quòd semper, quando pecunia Fratribus ipsis mitsitur vel offertur, (nisi expressè per mittentem, vel offerentem aliud exprimat) prædictis modis prorsus oblata intelligatur & missa. Non enim verisimile est, aliquem eleëmofynæ suæ sine expressione modum illum velle præfigere, per quem & donans merito, vel illi quorum necessitatibus intendit per donum huiusmodi providere; vel effectû doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur.

## V. A R T I C.

### *De ijs, quæ relinquuntur Fratribus testamento.*

I. **A**D hæc quia Fratribus ipsis interdum in vltimis voluntatibus, sub diuersis modis nonnulla legantur, nec expressè, quid de his agendum sit, in Regula, vel prædecessorum nostrorum Declarationibus continetur: ne in ipsis dubitari contingat in posterum, prouidendo; legantibus, & Fratrum conscientijs præcauendo, declaramus, ordinamus, & dicimus: quod si testator modum, secundum quem Fratribus (eorum conditione inspecta) recipere non liceret, exprimat in legando; vt si legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo seruaret: à tali legato, & eius receptione per omnem modum Fratres abstineant.

2. Si verò modum licitum Fratribus in legando testator expresserit, vt si diceret: Lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & similia, ad hoc; quòd per certam personam, vel personas idoneas distrahantur; & pecunia de rebus ipsis accepta, in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur; aut in legando similibus modis vel verbis vtatur: in hoc casu illud in omnibus & per omnia (consideratis eorum necessitatibus & moderaminibus suprãdictis) quantum ad Fratres, seruari decernimus, quòd per nos superiùs est in concessis pecuniarijs eleëmofynis declaratum, ad quæ legata soluenda tam hæredes testatorum, quam executores se liberales exhibeant, & etiam Prælati, & sæculares, quibus de iure vel consuetudine prouisio ista competet (cum

ret (cùm expedierit) se ex officio suo promptos exhibeant, ad pias voluntates decedentium adimplendas. Nam & nos etiam per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos, intendimus providere, quòd hæredum cupiditas legitimis iæctibus feriatur, ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes, opportunis auxilijs non fraudentur.

*De legatis indifferenter relictis.*

3. SI verò Fratribus ipsis generaliter aliquid absque modi expressione legeretur: in hoc legato sic indeterminatè relicto. in omnibus & per omnia intelligi ac servari volumus, & in perpetuum præsentì constitutione iubemus, quòd suprà in pecuniaria Eleëmofyna Fratribus indeterminatè oblata vel missa volumus, ac expressimus observari: videlicet vt sub modo licito Fratribus intelligatur esse relictum; ita quòd nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur.

VI. A R T I C.

*De commutatione rerum mobilium.*

1. **Q**uia verò libros, & alia mobilia quibus tam Ordo quàm Fratres utuntur, quorum dominium (cùm non sunt dominij aliorum) ad præfatam Ecclesiam specialiter spectare dignoscitur, interdum contingit seu expedit vendi, vel etiam commutari: Fratrum utilitatibus, & eorum conscientijs providere volentes, eadem auctoritate concedimus, vt commutatio talium rerum, & ad eas res, quarum vsum Fratribus licet habere, de Generalium & Provincialium Ministrorum, in suis administrationibus coniunctim & divisim auctoritate procedat. Quibus etiam de dispositione vsum talium rerum concedimus ordinare. Si verò res huiusmodi æstimato pretio vendi cõtingat; cùm Fratribus ipsis per se vel per alium recipere pecuniam (Regula prohibente) non liceat: ordinamus & volumus, quòd talis pecunia vel pretium recipiatur & expendatur in rem licitam, cuius vsum Fratribus licet habere, per Procuratorem à præfata Sede, vel à Cardinale gubernationem per ipsam Sedem gerente eiusdem Ordinis deputandum, iuxta modum in superioribus necessitatibus præteritis, & in Graculis ordinatum.

*De largitione vilium.*

2. **D**E vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus, liceat ex præ-

sentì

senti nostra Constitutione Fratribus, pietatis seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta & rationabili causa (obtena super hoc prius Superiorum suorum licentia) iuxta quod inter Fratres in generali vel in Provincialibus Capitulis, tam de ipsis rebus vilibus seu parum valentibus & earum valore, quàm præfata licentia scilicet à quibus, & qualiter sit habenda, extiterit ordinatum, intra & extra Ordinem alijs elargiri.

## VII. A R T I C.

*De vestibus Fratrum.*

1. **L**icet autem contineatur in Regula, quòd *Fratres habeant unam tunicam cum capucio, & aliam sine capucio; & videri possit illa fuisse Institutiõis intentio, quòd necessitate cessante, pluribus non utantur: declaramus quòd possint Fratres de licentia Ministrorum & Custodum, coniunctim & diuisim in administrationibus sibi commissis, cum eis videbitur (pensatis necessitatibus, & alijs circumstantijs, quæ secundum Deum & Regulam attendendæ videntur) uti pluribus; nec per hoc videantur à Regula deuiare cum etiam in ipsa dicatur expressè, quòd *Ministri & Custodes de infirmorum necessitatibus & Fratribus induendû, sollicitam curam gerant, secundum loca & tempora, & frigidas regiones,**

2. Et quamquam prædicta Regula contineat, quòd *de Fratribus induendû & necessitatibus infirmorum Ministri tantum, & Custodes sollicitam curam gerant; & dictio illa, tantum, sic Ministros & Custodes in hac cura perstringere videatur, quòd ab ea cæteros prima facie excludere videatur: quia tamen sollicitè considerare nos conuenit, & tempus Regulæ institutæ, quo Fratres ipsi ad comparationem præsentem numero pauci erant, & forsitan Ministri & Custodes videbantur, tunc ad ista procuranda posse sufficere; ac nihilominus multiplicationis Fratrum, & moderni temporis qualitatem; nec sit verissimile, B. Franciscum Institutorem Regulæ vel ipsius Ministris & Custodibus impossibilitatis iugum voluisse præfigere, vel ex ipsius impossibilitatis cõsequentia Fratres ipsos suis necessitatibus vellè carere: concedimus quòd ipsi Ministri & Custodes possunt per alios huiusmodi curæ sollicitudinem exercere. Debent etiam & alij Fratres curam huiusmodi quæ præfatis Ministris & Custodibus præcipue incumbit ex Regula, cum sibi ab illis commissæ fuerit, gerere diligenter.*

D. NICOL PP. III.  
VIII. A R T I C.

113

*De modo laborandi:*

1. **C**ontinetur quoque in Regula, quòd *Fratres, quibus gratiam dedit Dominus, laborandi, laborent fideliter & deuotè: ita quòd excluso ocio, anima inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant.* Quia verò ex verbo isto Fratres ipsos de otiositate vitæ, & de Regulæ transgressione, improbè notare interdum hætenus aliqui sunt conati: nos morsus huiusmodi nefarios reprimentes, declaramus, quòd consideratis verbis prædictis, & forma seu modo loquendi sub quibus Fratres ad huiusmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuisse Institutæ intentionis, quòd vacantes studio, vel diuinis officijs & ministerijs exequendis, manuali labori seu operationi subijceret, vel ad hoc illos arctaret: cùm exemplo Christi, & multorum sanctorum Patrum, labor iste spiritualis tantò illi præponderet, quantò quæ sunt animæ corporalibus præferuntur.

2. Ad alios verò, qui se in prædictis spiritualibus operibus non exercent, nisi tales aliorum Fratrum licitis seruitijs occupentur, ne otiosè viuunt, verba prædicta declaramus extendi: nisi & tales tam excellentis & notabilis cõtemplationis existerent quòd meritò propter hoc non esset à tanto bono pro huiusmodi exercitio subtrahendi. Fratres enim, quantumq; studio, vel diuinis ministerijs non vacantes, sed aliorum Fratrum studio, vel alijs diuinis officijs & ministerijs, vacantiũ seruitijs in hærentes, cum ipsis, quibus seruiunt sustentari merentur: quòd adstruitur illa æqua lege sancitum, qua strenuus pugnator ille David iuste decreuit, videlicet, quòd descendantium ad præliũ, & remanentium ad sarcinas, portio æquaretur.

IX. A R T I C.

*De Prædicatoribus.*

1. **V**erùm quia expressè continetur in Regula, quòd *Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi cùm ab eo illis fuerit contraditum:* nos in hoc & deferentes Regulæ & nihilominus auctoritatem Apostolicæ plenitudinis conseruantes, disimus, quòd prædictum verbum ad litteram, sicut Regula ipsa protulit obseruetur: nisi per Sedem Apostolicam, circa hoc pro utilitate populi Christiani sit concessum vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur seu etiam ordinetur.

Q

2. Et

## DECLARATIO

2. Et quia in eodem capitulo Regulae immediate subiungitur, quod nullus Fratrum populo penitus audeat predicare, nisi à Ministro Generali fuerit examinatus & approbatus. & ab eo predicationis officium sibi concessum: nos & statum præteritum ipsius Ordinis in paucitate sui, & modernum in ampliato Fratrum numero, ac utilitatem animarum (vt condecet) aduertentes, concedimus, quod ne dum Generalis examinare, & approbare Fratres prædicaturos in populis, ac illis concedere licentiam prædicandi, quatenus personæ idoneitatem, & prædicationis officium licentia ipsa respiceret, prout in Regula continetur: verum etiam Provinciales Ministri hoc possint in Capitulis Provincialibus cum Definitoribus, quod etiam hodie obseruari dicitur, & in Fratrum priuilegijs contineri. Quam quidem licentiam præfati reuocare ac suspendere valeant, & arctare, sicut & quando id eis videbitur expedire;

## X. ARTIC.

*De modo recipiendi Fratres ad Ordinem.*

1. **S**ed quoniam in desiderijs nostris hoc geritur, vt ad Dei gloriam salus proficiat animarum; ac dictus Ordo, per quem iugiter ad amorem diuinum affectio Christianæ religionis accenditur, merito & numero augeatur: concedimus, & præfenti statuto firmamus, licere non solum Generali, sed etiam Provincialibus Ministris, personas fugientes à sæculo in Fratres recipere, quæ Ministrorum Provincialium licentia per ipsum Generalem (sicut expedire viderit) possit arctari. Vicarij verò Provincialium Ministrorum ex officio Vicariæ licentiam hanc sibi non uerint interdictam, nisi per Ministros eosdem (quibus hoc posse committere Vicarijs, & alijs licere decernimus) hoc ipsis Vicarijs specialiter committatur. Caueant tamen ipsi Provinciales quod hoc non indiscretè, non passim, sed sic consideratè committant, sicque illos, quibus hoc committi contigerit, fidelibus consilijs fulciant, quod omnia discretè procedant.

2. Nec indifferenter omnes ad mittantur ad Ordinem, sed illi tantum qui suffragantibus eis literatura, idoneitate vel alijs circumstantijs possint utiles esse Ordini; sibi que per vitæ meritum, ac alijs proficere per exemplum.

## XI. ARTIC.

*De mittendo Custode Custodum ad Capitulum Generale.**In super*



**I.** **I**nsuper dubitantibus Fratribus prædicti Ordinis, an pro eo, quod in Regula dicitur, vt decedente Generali Ministro, à Prouincialibus Ministri & Castellibus in Capitulo Pentecostes fiat electio successoris; omnium Custodum multitudinem oporteat ad Generale Capitulum conuenire; aut, vt omnia cum maiori tranquillitate tractentur, sufficere possit, vt aliqui de singulis Prouincijs, qui vocem habeant aliorum, intersint: taliter respondemus, vt scilicet singularum Prouinciarum Custodes vnum ex se constituant, quem cum suo Prouinciali Ministro pro se ipsis ad Capitulum dirigant, voces ac vices suas committentes eidem. Quod etiam cum constituerint per se ipsos; statutum huiusmodi duximus approbandum. Quod idem prædecessor noster Gregorius IX. in casu huiusmodi dicitur respondisse.

## XII. A R T I C.

### *De ingressu & accessu ad Monasteria Monialium.*

**I.** **D**enique quia continetur in Regula supradicta, quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum, præter illos quibus à Sede apostolica concessa fuerit licentia specialis; quamquã hoc de Monasterijs pauperum Monialium inclusarum Fratres hæctenus intelligendum esse crediderint, cum earum Sedes præfata curam habeat specialem; & intellectus huiusmodi per Constitutionem quandam tempore datæ Regulæ, viuente adhuc Beato Francisco, per Prouinciales Ministros fuisse credatam in Generali Capitulo declaratus: iidem Fratres certificari nihilominus postulauerunt, an hoc de omnibus generaliter, cum Regula nullum excipiat; an de illis solum Monasterijs Monialium prædictarum debeat intelligi. Nos itaque generaliter id esse prohibitum de quarumlibet Cœnobijs Monialium respondemus. Et nomine Monasterij volumus claustrum, domos, officinas interiores intelligi pro eo quod ad alia loca, vbi homines sæculares conueniunt, possint Fratres illi causa prædicationis, vel eleëmoyinæ petenda accedere, quibus id à Superioribus suis pro sua fuerit maturitate vel idoneitate concessum, exceptis semper prædictarum monasterijs inclusarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas, sine Sedis eiusdem licentia speciali. Quod etiam ipsum idem prædecessor noster Gregorius IX. in eo casu dicitur respondisse.

## XIII. A R T I C.

Q:

An ad

*An ad Testamentum B. P. N. FRANCISCI Fratres  
obligentur.*

**I.** Ceterum sanctæ memoriæ Confessor Christi Franciscus Fratribus mandasse dicitur circa vltimum vitæ suæ (cuius mandatum ipsius dicitur Testamentum) quoddam verba ipsius Regule non glossentur, & (vt verbis vtamur eiusdem) quoddam sic vel sic intelligi debeant, non dicatur, adijciens quoddam Fratres nullo modo literas aliquas ab Apostolica Sede petant; & alia quædam interserens, quæ non possent sine multa difficultate seruari Propter quod Fratres hæsitantes an tenerentur ad obseruantiam Testamenti prædicti, dubitationem huiusmodi per eundem prædecessorem nostrum Gregorium IX. perierunt de ipsorum conscientijs amoueri: qui (sicut asseritur) attendens periculum animarum, & difficultates quas propter hoc possent incurrere, dubietatem de eorum conscientijs amouendo, dixit, Fratres ipsos ad ipsius mandati obseruantiam non teneri, quod sine consensu Fratrum, & maximè Ministrorum, quos vniuersos tangebatur, obligare nequirit; nec successorem suum quomodolibet obligauit. cum non habeat imperium par in parem. Nos autem circa præsentem articulum nihil duximus innouandum.

XIV. A R T I C.

*Hæc declaratio tantum seruanda in his, quæ habet communia cum Declarationibus summorum Pontificum præcedentium.*

**I.** Ad hæc à nonnullis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus circa declarationem ipsius Regule, & ipsam Regulam contingente, diuersas literas intelleximus emanasse: sed nec per hoc mordacium prædictorum contra Regulam ipsam & Fratres quicquam insultus, nec per ipsas literas statui Fratrum, prouideretur in multis, in quibus de nouo vel aliter necessariò prouidendum esse, multorum postea caluum cõtinentium experientia indicauit. Nos itaque, ne literarum huiusmodi & præsentis constitutiõis diuersitas vel intellectus aduersitas in prædictorum obseruatione Fratrum animos perturbaret; & vt plenius clarius, & certius eorum statui, & obseruantia prædictæ Regule consulatur; in omnibus & singulis eius articulis, quos Constitutio ipsa continet; quamquam ipsi vel eorum

eorum aliqui contineantur in alijs literis Apostolicis supradictis: hanc nostram Constitutionem seu ordinationem tantum à Fratribus ipsis præcisè ac inuolabiliter decernimus perpetuis temporibus obseruandam.

## XV. A R T I C

*De huius declarationis firmitate, auctoritate, ac publicatione.*

1. **C**um igitur ex prædictis, & alijs per nos cum multa maturitate discussis, Regula ipsa licita, sancta perfecta, & obseruabilis, nec ulli patens discrimini euidenter appareat; illam & omnia superscripta per nos statuta, ordinata, concessa, disposita, decreta, declarata etiam & suppleta, de Apostolicæ potestatis plenitudine approbamus, confirmamus, & volumus existere perpetuæ firmitatis: in virtute obedientiæ districtè præcipientes, quòd hæc Constitutio, sicut ceteræ Constitutiones vel Decretales Epistolæ, legatur in scholis.

2. Et quia sub colore liciti nonnulli contra Fratres ipsos & Regulam, in legendo, exponendo, atque glossando, possent virus suæ iniquitatis effundere, ac ipsius constitutionis intellectum ipsum, in diuersas & aduersas sententias producentes, suis adinventionibus deprauare, & opinionum diuersitas, ac distortio intellectus multorum pios animos posset inuoluere, & à Religionis ingressu, multorum corda subtrahere: talium detrahentium, viranda peruersitas, cogit nos viam ipsis ad prædicta præcludere, & certum procedendi modum, hanc Constitutionem legentibus præscribere. Itaq; sub pœna excommunicationis & priuationis officij ac beneficij, districtè præcipimus, vt præsens Constitutio, cum ipsam legenti contigerit, sicut prolata est, sic fideliter exponatur ad literam cõcordantiæ, contrarietates, seu diuersæ vel aduersæ opiniones à Lectoribus seu expositoribus nullatenus inducatur. Super ista constitutione glossæ non sicut, nisi forsân per quas verbum vel verbi sensus, seu cõstructio, vel ipsa constitutio quasi Grammaticaliter ad literam vel intelligibiliter exponatur. Nec intellectus ipsius per legentem deprauetur in aliquo, seu distorqueatur ad aliud, quam litera ipsa sonat.

3. Et ne Sedem prædictam contra detractores huiusmodi oporteat ulterius laborare: vniuersis & singulis, cuiuscumque præminentia, conditionis aut status, districtè præcipimus, ne contra prædictam Regulam, & statum Fratrum prædictorum, seu contra præmissa per nos statuta, ordi-

dinata, concessa, disposita, decreta, declarata, suppleta approbata, & etiam confirmata dogmatizent scribant, determinent, seu prave loquantur, publicè vel occultè: sed si quid penes aliquem in his ambiguitatis emer-  
serit, ad culmen prædictæ Sedis Apostolicæ deducatur: vt ex auctoritate  
Apostolica, sua in hoc manifestetur intentio; cui soli concensum est, in  
his statuta condere, & condita declarare.

4. Glossantes verò in scriptis constitutionem ipsam aliter, quàm eo  
modo quem diximus, Doctores insuper & Lectores dum docent in publi-  
co, ex certa scientia, & deliberatè intellectum Constitutionis huiusmo-  
di deprauantes; facientes quoque commentum, scripturas, seu libel-  
los, ac ex certa scientia, & deliberatè determinantes in scholis, seu  
prædicantes contra prædicta, vel aliqua seu aliquid prædictorum (non  
obstantibus aliquibus privilegijs vel indulgentijs, aut literis Apostolicis  
quibuscumq; dignitatibus, personis, Ordinibus, aut locis, Religiosis vel  
secularibus, generaliter vel singulariter, sub quacumque forma vel ex-  
pressionem verborum concessis, quæ nolumus aliquibus in præmissis quo-  
modo libet suffragari) excommunicationis sententiæ, quam nunc in ipsos  
proferimus, se nouerint subiacere: à qua per neminem, nisi per Roma-  
num Pontificem possint absolui. Insuper tam istos contra quos per nos  
excommunicationis prolata est sententia, quàm alios (si qui fuerint) con-  
tra præmissa, vel eorum aliquid venientes, ad Sedis memoratæ volumus  
deduci notitiam: vt quos prouisus modus æquitatis non arceat à vetitis,  
compescat rigor Apostolicæ vitionis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declara-  
tionis, ordinationis, concessionis, & dispositionis, suppletionis,  
approbationis, confirmationis, & constitutionis infringere,  
re: vel ei ausu temerario cōtraire. Si quis autem hoc  
attentare præsumpserit, indignationem omnipoten-  
tis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolo-  
rum eius, se noverit incursum.

*Datum Suriani 18. Kalend. Septembr. Pontificatus no-  
stri anno secundo.*

# INCIPIT

## Declaratio Regulæ FR. Minorum.

*edita à Domino Papa CLEMENTE V.*

### PROLOGVS.

### CLEMENS EPISCOPVS.

Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam

I. **E** *Xiui de Paradiso, dixi rigabo hortum plantationum,* ait ille cælestis agricola. Qui verè fons sapientiæ, Verbum DEI à Patre, in Patre manens, genitum ab æterno, novissimè diebus istis, fabricante Spiritu sancto, in utero virginis caro factum, exijt homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum, exemplar sequendum cælestis vitæ, præbens hominibus semetipsum. Verùm quia plerumque mortalis vitæ sollicitudinibus pressus homo, mentis aspectum ab exemplaris huiusmodi intuitu diuertebat; verus noster Salomon, in solo militantis Ecclesiæ hortum voluptatis inter cæteros quendam fecit, à procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius ac securius vacaretur contemplandis observandisque huiusmodi operibus exemplaris. In hunc intrauit ipse, ut rigaret ipsum secundis aquis spiritualis gratiæ & doctrinæ. Hic hortus, siquidem est Fratrum Minorum sancta Religio, quæ muris Regularis observantiæ firmiter undique circumclusa intra se solo contenta Deo, adornatur abundè novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius, mortificationis pœnitentiæ myrrham meritis cum aromaticis, quæ suavitate mira vniversis odorem attrahentis sanctimoniam circumfundunt. Hæc est illa cælestis vitæ forma & Regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius sanctus Franciscus, ac legendam à suis filijs verbo docuit pariter & exemplo.

2. Quia verò dictæ sanctæ Regulæ professores ac æmulatores deuoti, vt alumni & veri filij tanti Patris, affectabant, sicut & seruenter affectant, ad purum & plenum præmissam Regulam firmiter obseruare; attendentes

dentem quædam quæ dubium poterant adferre sensum, in ipsius Regulæ serie contineri: pro ipsorum declaratione habenda recurrerunt prudenter olim ad apicem Apostolicæ dignitatis, ut certificati per ipsam, cuius *pe-  
dibus etiam per ipsam Regulam sunt subiecti*; possent Domino, pulsus cunctis dubijs, cum plena claritate conscientiæ deseruire. Horum autem pijs ac iustis supplicationibus plures prædecessores nostri Romani Pontifices successiue, sicut dignum erat, applicantes aures, & animum, declarauerunt ea quæ dubia videbantur: ediderunt nonnulla, & aliqua concesserunt, sicut expedire, videbant Fratrum conscientiæ, ac puræ obseruantię huius status. Verum quia plerumq; vbi culpa non est, eam timere solent conscientiæ timorata, quæ in via Dei quodcumque deuium expauescunt; non sunt ad plenum ex dictis declarationibus dictorum omnium Fratrum conscientiæ quietata, quin circa aliqua ad Regulam, ipsorumque statum pertinentia dubitationum in ipsis fluctus aliqui generentur & oriantur, sicut ad aures nostras pluries, & de quampulribus, in publicis & priuatis consistorijs est perlatum. Quapropter per ipsos Fratres nobis extitit humiliter supplicatum, quatenus prædictis dubijs quæ occurrunt, & quæ possunt occurrere in futurum, adhibere opportuna declarationis remedia de benignitate Sedis Apostolicæ curaremus.

3. Nos igitur, cuius animus ab ætate tenera, pia deuotione effertur, it ad huiusmodi Professores Regulæ, & ad Ordinē ipsam totum; nunc autem ex communi cura Pastoralis regiminis, quam immeriti sustinemus, ad ipsos fouendos dulcius, & attentius gratiosis fauoribus protequendos, tanto prouocamur ardentius quanto frequentius intenta mente reuoluimus fructus vberes, quos ex eorum exemplari vita, & salutari doctrina, toti vniuersali Ecclesiæ continue cernimus provenire: tam pia supplicatium intentione commoti, ad peragendum diligenter quod petitur, studia nostra duximus conuertenda; ipsaq; dubia per plures Archiepiscopos & Episcopos, & in Theologia Magistros, & alios literatos, prouidos, & discretos examinari fecimus diligenter.

*De obseruatione præceptorum ac consiliorum Evangelicorum.*

C A P V T I.

1. **C**Um igitur in primis ex eo quod in dictæ Regulæ principio habetur, *Regula & vita Minorum Fratrum hæc est, scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.*

in castitate. item infra: Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam promittentes vitam istam semper & Regulam observare, item circa finem Regulæ: Paupertatem & humilitatem & sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi quod firmiter promissimus, observemus; fuit hæsitatum. An Fratres eiusdem Ordinis ad omnia tam præcepta quam consilia Evangelij ex Professione suæ Regulæ teneantur, quibusdam dicentibus, quod ad omnia, alijs autem asserentibus, quod ad sola illa tria consilia, videlicet vivere in obedientia, in castitate, & sine proprio, & ad ea, quæ sub verbis obligatorijs ponuntur in Regula, obligantur. Nos circa hunc articulum Prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, ipsi quoque articulum, quo ad aliquid clarè prosequentes, dictæ hæsitationi duximus respondendum: quod cum votum determinatum cuiuslibet habeat cadere sub certo; vouens Regulam non potest dici teneri ex vi voti huiusmodi ad ea consilia Evangelica, quæ in Regula non ponuntur. Et quidem Beati Francisci Conditoris Regulæ hæc probatur fuisse intentio, ex hoc, quod quædam Evangelica consilia in Regula posuit, alijs prætermittis. Si enim per illud verbum *Regula & vita Minorum Fratrum hæc est*, &c. intendisset eos ad omnia consilia Evangelica obligare, superflue & nugatorie quædam eorum, suppressis cæteris, in Regula expressisset.

2. Cum autem natura termini restrictivi hoc habeat, quod sic excludit ab ipso extranea, quod cuncta ad ipsum pertinentia includit: declaramus & dicimus, quod dicti Fratres non solum ad illa tria vota nudè & absolutè accepta ex Professione suæ Regulæ obligantur, sed etiam tenentur ad ea omnia adimplenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta quæ Regula ipsa ponit. Nam si ad hæc tria prædicta tantum præcisè & nudè promittentes se servare Regulam, *viuendo in obedientia, sine proprio & in castitate*; & non etiam ad omnia contenta in Regula, quæ hæc tria modificant arctarentur; pro nihilo & vanè proferrentur hæc verba, Promitto semper hanc Regulam observare; ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur. Nec tamen putandum est, quod Beatus Franciscus professor huius Regulæ quantum ad omnia contenta in Regula modificantis tria vota, seu ad alia in ipsa expressa, intenderit æqualiter esse obligatos: quin potius apertè discernit, quod quoad quædam ipsorum ex vi voti transgressio est mortalis, & quoad quædam alia non: cum ad quædam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem; & quoad alia, verbis alijs sit contentus.

## De ijs quæ equipollent præcepto.

3. **I**tem quia præter ea, quæ expressè verbo præcepti, ac exhortationis seu monitionis ponuntur in Regula: nonnulla, verbo imperatiui modi negatiuè vel affirmatiuè apposito, inseruntur: hæcenus extitit dubitatū an teneantur ad ista, vt ad habentia vim præcepti. Et quia, vt intelleximus, non minuitur hoc dubium, sed augetur, ex eo quod felicis recordationis Nicolaus Papa III prædecessor noster noscitur declarasse, quod Fratres ipsi ex professione suæ Regulæ sunt adstricti ad ea consilia Evangelica, quæ in ipsa Regula præceptorie vel inhibitorie, seu sub verbis equipollentibus exprimentur, & nihilominus ad eorum omnium obseruantiam, quæ ipsis in eadem Regula sub verbis obligatorijs inducuntur. supplicauerunt prædicti Fratres, vt ad eorum conscientias serenandas, declarare quæ horum censi debeant præceptis equipollentia ac obligatoria dignaremur.

4. Nos itaque, qui in sinceris horum conscientijs delectamur, attendentes, quod in his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graues remorsus conscientie consulte pars securior est tenenda: dicimus, quòd licet Fratres non ad omnium quæ sub verbis imperatiui modi ponuntur in Regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis equipollentium obseruantiam teneantur: expedit tamen Fratribus ipsis ad obseruandam puritatem Regulæ & rigorem, quòd ad ea, sicut ad equipollentia præceptis se nouerint obligatos, quæ hic inferius annotantur.

5. Vt autem hæc quæ videri possunt equipollentia præceptis ex vi verbi, vel saltem ratione materie, de qua agitur, seu ex utroque, sub cõpendio habeantur: declaramus, quod illud quod ponitur in Regula:

*De non habendo plures tunicas quàm vnã cum capucio, & aliam sine caputio.*

**Item.**

*De non portandis calceamentis, & de non equitando, extra casum necessitatis.*

**Item.**

*Quòd Fratres vilibus induantur.*

**Item.**

*Quòd ieiunare à Festo Omnium sanctorum, vsq; ad Natalem Domini, & in Mensis sextu teneantur.*

**Item.**

*Quòd Clerici faciant Diuinum Officiũ secundum Ordinem S. Rom. Ecclesie.*

**Quòd.**



Item.

Quòd *Ministri & Custodes pro necessitatibus infirmorum & Fratribus induenda sollicitam curam gerant.*

Item.

Quòd si qui Fratrum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei seruire.

Item.

Quòd Fratres non predicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illud fuerit contradictum.

Item.

Quòd nullus audeat predicare populo, nisi à Generali Ministro, vel alijs quibus secundum declarationem prædictam id competit, fuerit examinatus & approbatus, & ad hæc institutus.

Item.

Quòd Fratres qui cognoscerent se non posse præmissam Regulam spiritualiter obseruare, debeant & possint ad suos Ministros recurrere,

Item,

Quòd omnia quæ ponuntur in Regula, ad formam habitus tam Novitiorum, quam etiam Professorum nec non ad receptionis modum, ac Professionem spectantia, nisi recipientibus quoad habitum Nouitiorum, sicut dicit Regula, secundum Deum aliter videatur; Hæc, inquam, omnia sunt à Fratribus tanquã obligatoria seruanda.

Item.

Ordo communiter sentit, tenet, & tenuit ab antiquo quòd vbiuscunq; ponitur in Regula hoc vocabulum, *teneantur*, obtinet vim præcepti, & obseruari debet à Fratribus sicut tale.

*An liceat Fratribus recipere aliquid de bonis ingredientium Ordinem.*

## C A P V T II.

**C**eterum quia Christi Confessor prædictus agendorum ac seruandorum circa recipiendos ad Ordinem, Ministris & Fratribus modum præbens dixit in Regula, quod *caueant Fratres & eorum Ministri ne sint solliciti de rebus suis temporalibus, vt libere faciant de eis, quidquid ipsis à Domino fuerit inspiratum: licentiam tamen habeant ipsi Ministri, mittendi eos ad aliquos Deum timentes, si consilium requiratur, quorum consilio sua bona pauperibus erogentur, dubitauerunt, & dubitant multi Fratrum. An liceat ipsis de bonis ingredientium quidquam recipere, si donetur, &c. Si ad dandum personis & Conuentibus possint eos inducere sine culpa.*

R 2

Si etiam

Si etiam ad disponendum de distributione rerum talium debeant ipsi Ministri seu Fratres dare consilium, ubi ad consulendum alij quam ex ipsis ad quos ingressuri mittantur possint idonei inveniri. Nos autem considerantes attentè, intendisse Sanctum Franciscum suæ Regulæ Professores, quos fundauerat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipsorum ingredientium, per dicta verba, specialiter & totaliter elongare; ut quantum est ex parte Fratrum ipsorum receptio ad Ordinem sancta & purissima appareret; & ne aliquo modo oculum videre autur habere ad bona eorum temporalia, sed ad ipsos tantum Diuino officio mancipandos: dicimus, omnino debere tam Ministros, quam Fratres, cæteros à dictis inductionibus ad sibi dandum, & suasionibus, nec non & a dandis circa distributionem consilij abstinere; cum pro hoc ad timentes Deum, statûs alterius mitti debeant, non ad Fratres, ut verè cunctis pateant esse tam salubris instituti paterni zelatores, studiosi, sedul. & perfecti.

z. Cùm verò facere de rebus suis quòd Dominus inspirabit; ipsa Regula ingredientibus liberum esse velit non videtur quin liceat eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus, & moderaminibus declarationis iam dictæ, si quid de bonis suis intrans, sicut & cæteris pauperibus per modum eleëmolyntæ, liberè velit dare. Cauere tamen in acceptance oblatorum talium decet Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili, præsumi possit sinister oculus contra ipsos.

*De Fratrum vestimentis, & eorum vilitate.*

### C A P V T III.

I. **P**Ræterea cùm dicatur in Regula, quòd illi qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnã tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui habere voluerint. Item quòd Fratres omnes vestimenta vilibus induantur; nosque declarauimus, prædicta verba æquipollere præceptis: volentes hæc determinari plenius, dicimus, quantum ad numerum tunicarum, quòd pluribus vti non licet, nisi in necessitatibus quæ haberi possunt ex Regula, secundum quòd hunc passum memoratus Prædecessor noster plenius declarauit.

z. Vilitas in autem vestium, tam habitus, quam interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ secundum consuetudinem, vel conditionem patriæ debeat, quantum ad colorem panni & pretium, vilitas meritò reputari. Non enim quoad regiones omnes potest determinatus.

minatus vnus modus in talibus assignari. Huiusmodi etiam vilitatis iudicium Ministris & Custodibus, seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes; ita tamen quòd seruent in vestibus vilitatem.

### *De Calceamentis.*

3. Quorum etiam Ministrorum, Custodum, & Guardianorum iudicio eodem modò relinquimus, pro qua necessitate possint ipsi Fratres calceamenta portare,

### *De Ieiunijs.*

4. Deinde cùm duobus temporibus annotatis in Regula, scilicet, à Festo Omnium Sanctorum vsque ad natiuitatem Domini, & maxime Quadragesimæ, in quibus ieiunare tenentur, inferatur in eadem Regula, alijs temporibus non teneantur, nisi sexta Feria ieiunare. & ex hoc voluerint aliqui dicere, quòd dicti Ordinis Fratres non teneantur, nisi ex condecencia ad alia ieiunia, quàm ad ista: declaramus debere intelligi, eos non tenari ad ieiunium alijs temporibus, præterquam in ieiunijs ab Ecclesia constitutis. Non est enim verissimile, quòd vel institutor Regulæ, vel etiam Confir-mator absoluere ipsos intenderit à seruandis illis ieiunijs, ad quæ de cõ-muni Statuto Ecclesiæ obligantur cæteri Christiani.

### *De obseruatione præcepti non recipiendi pecuniam.*

## C A P V T I V.

I. POrro cùm dictus Sanctus volens Fratres suos super omnia à denarijs seu pecunia esse totaliter alienos, præcepit firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per se vel per interpositam personam; istumq; articulum declarans idem prædecessor noster casus & modos posuerit, quibus seruatis à Fratribus, non possunt dici nec debent, per se vel per alium pecuniæ receptores contra Regulam, vel sui Ordinis puritatem: dicimus Fratres teneri cauere sum-mopere, quòd pro alijs causis, seu sub modis alijs, quàm ponit dicti prædecessoris nostri declaratio, ad dantes pecunias, siue deprecatos nuntius non recurrant; ne, si scùs ab ipsis attentatum fuerit, transgressores præcepti & Regulæ merito dici possint. Nam vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quòd expresse non conceditur, intelligitur denegatum.

2. Quocirca quævis omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio; in Ecclesijs vel alibi cippi, seu trunci ordinati ad offerentium seu donantium pecunias reponendas, nec non quicumq; recursus alius ad pecunias seu habentes ipsas, qui per declarationem prædictam non conceditur, hæc, inquam, omnia sunt eis simpliciter interdicta.

3. Cùm etiam recursus ad amicos spirituales expressè tantum in duobus casibus secundùm Regulam concedatur, videlicet pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis, idque piè & rationabiliter, considerata necessitate vitæ humanæ, ad alias necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, (cessantibus eleëmofynis) seu etiam ingruentes, sæpe dictus Prædecessor duxerit extendendum: attendant Fratres præfati, quòd pro nullis causis alijs, quàm prædictis, vel similibus, in via vel alibi recurrere liceat eis ad amicos huiusmodi, siue sint dantes pecunias, siue deputati per ipsos, siue nuntij, vel depositarij, seu alio quouis nomine appellentur, etiamsi concessi per eandem declarationem modi, circa pecuniam integrè seruentur.

4 Denique cùm idem Confessor summè affectauerit suæ Regulæ Professores totaliter esse abstractos ab affectu & desiderio terrenorum, & specialiter à pecunia, & eius usu totaliter expertes; sicut probat prohibitio de recipienda pecunia, in Regula sæpius repetita: curare Fratres vigilantè necesse est, quòd cum ex causis prædictis, & modis ad habentes pecunias deputatas pro ipsorum necessitatibus recurrere oportebit, ad tenentes ipsas, quicumq; hi fuerint principales, vel nuntij: in omnibus sic se gerant, quòd se cunctis ostendant in dictis pecunijs, sicut nec habent, penitus nil habere.

5. Quapropter præcipere, quomodo, & qualiter pecunia expendatur: computumq; exigere de expensa; eam quomodocumque repetere siue deponere, aut deponi facere; capsulam pecuniæ, vel eius clauem deferre: hos actus & consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant, Prædicta enim facere, ad solos Dominos pertinet qui dederunt, & eos, quos ipsi deputauerunt ad hoc ipsum.

### *De expropriatione Fratrum.*

## CAPVT V.

1. **P**roinde cùm vir sanctus paupertatis præmissæ in Regula modum exprimens, dixit in eadem: *Fratres nihil sibi appropriant, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini & aduena in hoc sac-*

*hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro elemosyna confidenter; sicque declaratum exitit per nonnullos Prædecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali, quàm etiam in communi; propter quod & rerum omnium concessarum, oblatarum, & donatarum Fratribus, (quas & quarum usum, facti scilicet Ordini, vel ipsis Fratribus licet habere) proprietatem & dominium in se, & Romanam Ecclesiam receperunt, dimisso ipsis Fratribus in eis tantummodò usu facti simplicis: ad nostrum fuerunt deducta examen, quæ in Ordine fieri dicebantur, & videbantur prædicto voto, & puritati Ordinis repugnare, videlicet, ut ea prosequamur ex ipsis, quæ remedio credimus indigere.*

2. Quòd se institui hæredes non solum sustinent, sed procurant.

Item, quòd redditus annuos recipiunt interdum in tam notabili quantitate, quòd Conuentus habentes totaliter inde viuant.

Item, quòd cùm ipsorum negotia etiam pro rebus temporalibus in curijs agitantur, assistunt Aduocatis & Procuratoribus, & ad indagandum eisdem se ibidem personaliter representant.

Item, quòd executiones vltimarum voluntatum suscipiunt & gerunt: seque intromittunt quandoq; de usurarum & malè ablatorum dispositionibus, seu restitutionibus faciendis.

Item, quòd alicubi non solum excessiuos hortos, sed etiam vineas magnas habent: de quibus tam de oleribus, quàm de vino multum colligitur ad vendendum.

Item, quòd temporibus messium & vindemiarum, sic copiosè granũ & vinum medicando, vel aliunde emendo colliguntur à Fratribus, & in cellarijs ac granarijs reconduntur, quòd per anni residuum, & absque eorum mendicatione possunt transigere vitam suam.

Item, quòd Ecclesias vel alia ædificia faciunt, vel procurant fieri in quantitate, & curiositate figuræ & formæ, ac sumptuositate notabiliter excessiua, sic quòd non videntur habitacula pauperum, sed magnarum.

Paramenta etiam Ecclesiastica in plerisque locis tam multa habent, & tam notabiliter pretiosa, quòd excedunt in his magnas Ecclesias Cathedralis.

Equos iusuper & arma eis oblata in funeralibus recipiunt indistinctè.

Tamen communitas Fratrum, & specialiter Rectores ipsius Ordinis asserbant, quòd prædicta seu plura ex ipsis in Ordine non fiebant. Quòd & si qui reperiuntur rei in talibus, rigidè puniuntur: nec non,

contra.

contra talia ne fiant, sunt facta pluries ab antiquo statuta in Ordine multum stricta.

*De hereditatibus non acceptandis.*

CAPVT VI.

1. **C**vpientes igitur nos ipsorum Fratrum providere conscientijs, & cuncta dubia, quantum possibile nobis est, de ipsorum pectoribus remouere: ad prædicta modo, qui sequitur respondemus. Cùm enim ad veritatem vitæ pertineat, vt id, quòd exterius agitur, interiorem mentis dispositionem & habitum repræsentet: necesse habent Fratres, qui se expropriatione tanta à temporalibus abstraxerunt, ab omni eo quod dictæ expropriationi esset vel posset videri contrarium, abstinere. Quia igitur in successione transit, non solum usus rei, & dominium suo tempore in hæredes, Fratres autem præfati nihil sibi in speciali acquirere vel eorum Ordini possint etiam in cõmuni: declarando dicimus, quòd successione huiusmodi, quæ etiam immobilia se extendunt (considerata sui puritate voti) nullatenus sunt capaces.

2. Nee licet eis valorem hereditatum talium, vel tantam earum partem, quòd præsumi posset hoc in fraudem fieri, quasi sub modo & forma legati, dimitti sibi facere, vel sic dimissa recipere, quin potius ista sic fieri ab ipsis simpliciter prohibemus.

*Reddituum receptio prohibita.*

3. Cumq; annui redditus inter immobilia censeantur à iure, ac huiusmodi redditus obtinere, paupertati & medicitati repugnet: nulla dubitatio est, quòd prædictis Fratribus redditus quoscunque, sicut & possessiones, vel etiam eorum usum, cùm eis non reperitur concessus, recipere vel habere, conditione ipsorum considerata, non licet.

*De non assistendo in curijs aut litibus.*

CAPVT VII.

1. **A**mplius cùm non solum quòd malum esse dignoscitur, sed omnino, quòd specimen habet mali, sit à viris perfectis specialiter evitandum, ex talibus autem assistentijs in Curijs & in litigatione.

stigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda conuertendis, creduntur, verisimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines iudicare) in ipsis rebus Fratres assistentes aliquid querere tanquàm suum: nullo modo debent huiusmodi viri & Regulæ Professores se talibus curis & litigiosis actibus immiscere, vt & testimonium habeant ab his, qui foris sunt, & puritari satisfaciant voti sui, & euitetur per hoc scandalum proximorum.

### *Non acceptanda testamentorum executiones.*

2. Verùm etiam cùm dicti Ordinis Fratres non solùm à receptione, proprietate, dominio siue vsu ipsius pecuniæ; verùm etiam à contractatione qualibet ipsius, & ab ea sint penitus alieni, quemadmodum sæpe dictus prædecessor noster in Declaratione huius Regulæ planè dixit; cùmque dicti Ordinis Professores possint pro nulla re temporali in iudicio experiri: prædictis Fratribus non licet, nec competit, quin potiùs, considerata sui puritate status, debent sibi scire interdictum, quod huiusmodi executionibus & dispositionibus se exponant, cùm hæc, vt sæpius absque litigio, & contractatione, vel administratione pecuniæ nequeant expediri. Verumtamen in his exequendis, dare consilium, ipsorum statui non obsistit: cùm ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio, siue actio, in iudicio, siue dispensatio tribuatur.

### *Non habendi aut acceptandi horti superflui.*

## C A P V T VIII.

1. Licet verò non solùm sit licitum sed & multum conueniens rationi, quòd Fratres, qui in laboribus spiritualibus orationis & studij sedulo occupantur, hortos & areas habeant competentes, ad collectionem vel recreationem sui & interdum ad se ipsos post labores huiusmodi corporaliter deducendos, nec non ad habenda necessaria hortalia pro se ipsis; habere tamen hortos aliquos vt colantur, ac olera & alia hortalia pretio distrahatur; nec non & vineas, repugnat suæ Regulæ, & Ordinis puritati, secundùm quod dictus prædecessor noster declarauit, ac etiam ordinauit, quòd si talia a vsus proximè dictos, vt puta agrum, vel vineam ad colendum, & consimilia Fratribus legarentur  
 § per om.

per omnem modum Fratres à receptione talium abstinere: cùm etiam præmissa habere, vt pretium fructuum suis temporib<sup>9</sup> habeatur ad naturam & formam prouentuum appropinquet.

*Non habenda granaria aut cellaria, sine euidenti necessitate.*

## C A P V T I X.

**I.** **R**ursus cùm prædictus Sanctus, tam exemplis vitæ, quàm verbis Regulæ ostenderit, se velle quòd Fratres sui & filij, Diuinae providentiæ innitentes, suos in Deum iacerent cogitatos, qui volucres cæli pascit, quæ non congregant in horrea, nec seminant, nec metunt: non est verisimile, voluisse ipsum eos habere granaria vel cellaria, vbi sine quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam. Et idcirco non ex timore leui laxare se debent ad congregationes, & conseruationes huiusmodi faciendas. sed tunc tantum, cùm esset multum credibile ex iam expertis, quòd non possent vitæ necessaria aliter inuenire. Hoc autem Ministrorum & Custodum, simul & separatim in suis administrationibus, & Custodijs cum Guardiani, & duorum de Couentu Discrutorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine Fratrum consilio, & assensu, duximus iudicio relinquendum, eorum super hoc specialiter conscientias onerantes.

*Non edificanda aut admittenda ædificia sumptuosa.*

## C A P V T X.

**I.** **H**inc est etiam quòd cùm Vir Sanctus Fratres suos in paupertate summa & humilitate fundare voluerit, quoad affectum pariter & effectum sicut ferè tota Regula clamat: conuenit ipsis, quòd nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quæcunque ædificia, quæ, considerato Fratrum inhabitantium numero excessiua in multitudine, & magnitudine debeant reputari. Ideoq; volumus, quòd vbique in suo Ordine deinceps temperatis & humilibus ædificijs sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ, quòd patet oculis, contrarium foris Clamet.

*Non*



*Non habenda vasa aut paramenta Ecclesiastica excessiua.*

2. Quamuis etiam paramenta & vasa Ecclesiastica ad honorem Divini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse DEVS, tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum; nec per illa sibi vult serui, quæ suorum seruitorum conditioni & statui dissonarent. Quapropter sufficere debent eis vasa & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero & magnitudine sufficientia competenter. Superfluitas autem, aut nimia pretiositas vel quæcumque curiositas, in his seu alijs quibuscumque, non potest ipsorum professioni vel statui convenire. Cum enim hæc sapiant thesaurizationem, seu copiam, paupertati tantæ, quo ad humanum iudicium, derogant manifestè. Quapropter promissa seruari à Fratribus volumus & mandamus.

*Quid agendum de equorum & similibus oblationibus.*

3. Circa equorum vero & armorum oblationes, illud decernimus in omnibus, & per omnia obseruandum, quòd per declarationem prædictam in pecuniarijs nescitur eleëmofynis definitum.

*Ad quem usum arctum teneantur Fratres ex Regula.*

## CAPVT XI.

1. **E**X prædictis autem succreuit non parum scrupulosa quaestio inter Fratres, videlicet, Vtrum ex suæ Professione Regulæ obligentur ad arctum, & tenuem, siue pauperem usum rerum; quibusdam ex ipsis creditibus & dicentibus, quòd sicut quo ad dominium rerum habent ex voto abdicationem arctissimam ita ipsis quoad usum arctitudo maxima, & exilitas est indicta; alijs in contrarium asserentibus, quòd ex Professione sua ad nullam usum pauperem, qui non exprimitur in Regula, obligantur, licet teneantur ad usum moderatum temperantiæ, sicut & magis ex contententi, quàm cæteri Christiani. Volentes itaque conscientiarum prædictorum Fratrum providere quieti, & his altercationibus finem dare: declarando dicimus, quòd Fratres Minores ex Professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos vsus, seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur: & eo obligationis modo, sub quo continet seu ponit Regula dictos vsus.

2. Dicere autem, sicut aliqui asserere perhibentur, quòd hæreticum

fit tenere, vsum pauperem includi, vel non includi sub voto *Euangelicæ* paupertatis, præsumptuosum, & temerarium iudicamus.

*De electione & confirmatione Ministrorum Prouincialium.*

CAPVT XII.

1. **D**emum quia ex eo quòd dicta Regula, per quos & vbi fieri debeat Ministri Generalis electio, tradens nullam fecit de Ministrorum Prouincialium electione vel institutione penitus mentionem, oritur super hoc poterat dubitatio inter Fratres: Nos volentes posse ipsos clare ac securè procedere in omnibus factis suis, declaramus, statuimus etiam, & ordinamus hac Constitutione in perpetuum valitura, vt, cum alicui Prouinciæ de Ministro fuerit prouidendum, ipsius Ministri electio penes Capitulum Prouinciale resideat: quam idem Capitulum die sequenti, quæ fuerit congregatum, facere teneatur. Ipsius autem electionis confirmatio, ad Ministrum pertineat Generalem.

2. Et siquidem ad electionem huiusmodi per formam scrutiniij procedatur, & votis in diuersa diuisis electiones plures in discordia celebrari contingat: illa quæ à maiori parte Capituli numero (nulla zeli vel meriti collatione, aut consideratione habita) fuerit celebrata exceptione aut contradictione quacunque alterius partis non obstante, per dictum Generalem Ministrum, de consilio Discretorum de Ordine (prius tamen ex officio, prout spectat ad ipsum diligenti examinatione præmissa) confirmetur, vel etiam infirmetur, prout ei secundùm Deum visum fuerit expedire. Et si fuerit infirmata, ad Capitulum Prouinciale electio huiusmodi reuertatur. Cæterum si Capitulum memoratum die prædicta Ministrum eligere prætermittat, ex tunc Ministri Prouincialis prouisio ad Generalem Ministrum liberè deuoluatur.

3. Verum si Ministro prædicto, & Capitulo Generalibus, ex certa, manifesta, ac rationabili causa videretur aliquando in Prouincijs *Ultramarinis*; *Hybernix*, *Græciæ*, seu *Romanix* (in quibus hæctenus aliu prouidendi modus dicitur ex causa certa & rationabili fuisse seruatus) expedire, Ministrum Prouincialem, per Ministrum Generalem cum proborum Ordinis consilio, potius quàm per Capituli prædicti electionem præficere in Prouincijs *Hybernix*, & *Ultramarinis* irrefragabiliter; in *Romania* vero vel *Græcia*, quando Minister dictæ Prouinciæ moreretur, vel absolveretur circa mare, illa vice seruetur absq; dolo, partialitate, & fraude (super quo eorum conscientias oneramus) quòd super hoc dictus Minister

ster cum dictorum proborum consilio duxerit ordinandum. In destituti-  
one verò dictorum Ministrorum Prouincialium seruari volumus, quod  
super hoc hæctenus de ipso Ordine extiterit obseruatum.

4. Cæterùm si contingeret eisdem Ministro Generali carere, per  
Vicarium Ordinis fiat super hoc, quod faciendum fuerit per eundem Mi-  
nistrum, vsque quò prouisum fuerit de Generali Ministro.

5. Porro si quid de huiusmodi Ministro Prouinciali secùs attentari  
forte contingerit, illud ipso facto sit irritum, & innane,

6. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum  
declarationum, dictorum, commissionis, responsionis, prohibitionis, or-  
dinationis, mandati, constitutionum, indicationum, & voluntatum in-  
fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attenta-  
re præsumpserit; indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri  
& Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

*Datum Vienna, pridie Nonas Maij.  
Pontificatus nostri, Anno 7.*



S. D. N.

**D. VRBANI DIVINA  
PROVIDENTIA PAPÆ VIII.  
CONFIRMATIO DECLARATIONIS CON-  
STITUTIONIS.**

**CLEMENTIS PAPÆ OCTAVI.**

*De largitione munerum Regularibus vtriusq; sexûs interdicta*

**VRBANVS PAPA VIII.**

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*2 do legatur  
hæc Vrbani Sui.  
Confirmatio.*

**S. N** Vper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curie Prælatorum coram dilecto Filio nostro Antonio tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Onuphry nuncupato maiori Pœnitentiario, ac nostro in Vrbe Alma, Prouicario, in spiritualibus. Generali & nostro secundum carnem Fratre germano à nobis deputata, emanauit declaratio tenoris subsequenti, videlicet. Cum circa interpretationem Constitutionis Felic. recor. Clementis VIII. sub Dat XIII. Calend. Iulij. Pontificatûs sui Anno tertio de largitione munerum Regularibus vtriusq; sexûs interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates exortæ. Congregatio specialiter à sanctissimo Domino nostro VRBANO Divina prouidentia Papa VIII. coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrij maiori Pœnitentiario, ac Urbis Prouicario deputata, auctoritate sibi attributa declarauit, & declarat munera à Religiosis vtriusq; sexûs tribui posse, ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentia eiusq; conseruationis erga ipsam Religionem, vel conuentum, alijsq; causis, ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen ac discretè, & dum modo id non fiat, nisi de superiorum localium licentia, ac etiam eum consensu maioris partis Conuentus, si talis consensus de iure, vel ex constitutionibus, seu consuetudinibus, cuiusq; Religionis respectiue in huiusmodi ca-  
sibus

abus requiratur. Consensum vero Conuentus in §. 2. eiusdem Constitutionis ad leuiora esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, & religiofitatem, pertinentia manuscula largienda &c. requisitum, intelligi debere de consensu alias de iure requisito, & vbi concurrit ambitionis suspicio, quâ cessante, nec in his requiri licentiam superiorum in scriptis in §. 4. eiusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam etiam oretenus eiusdem concessam declarat. Comestationes autem, comotationes, & conuiuia in excipiendis Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinarijs, honorificè, & lautè de quibus in §. 5. & 6. eiusdem Constitutionis ceteri tantummodo prohibita, si decentiæ status regularis aduersentur. Restitutionem vero receptorum, Cōuentibus, faciendam, de qua in §. 10. ibidem cautum est, intelligi debere de Conuentibus, ad quos data, donata, seu missa, de iure pertinet, si id commodè fieri potest, alias Conuentui eiusdē Religionis viciniori, loco, vbi petita fuit absolutio, restituatur. Insuper eadem facultate sibi tributa, omnes qui hucusq; aduersus supradictæ Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à panis quibuscunq; in eadem Constitutione inflictis, & incurtis, posse, & debere, à proprijs confessarijs absolui, in foro conscientiæ, etiam non facta prius, huiusmodi rerum donatarum, seu datarum, restitutione. Quoad eos vero, qui præter modū prædictum grauiori Religiois detrimento largiendo, vel recipiendo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, Eadem Sanctitas, concedit majori Pœnitentiario, vt de præteritis, vsq; ad diem datæ præsentium, in foro conscientiæ obsoluat, dispenset, & condonet, seu absolui, dispensari, & condonari, mandet, prout in Domino magis expedire iudicauerit.

§. 2. **E**T ne prædictæ CLEMENTIS VIII. Constitutionis, memoria dilabatur; Superiores locales cuiuscunq; Monasterij, Conuentus, Domus, ac Collegij Regularis, sub pœna priuationis officij, vocisq; actiue & passiuæ, ipso iure incurrendæ efficere teneantur, vt in perpetuum, singulis annis Mense Ianuario, non solum prædicta Constitutio, (quam in reliquis eius partibus eadem Sanctitas omnino obseruari iubet, & quatenus opus est innouat, quemcunq; præsum, non vsum, aut præsum vsum, seu præsumsam consuetudinem, damnando & irritando) verum etiam hoc Decretum, in aliqua publica Congregatione, vel saltim in publica mensa perlegantur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis etiam Regularibus, quam laicis, cuiuscunq; sint ordinis conditionis, gradus, ac dignitatis, etiam speciali nota dignis, & qui sub generali

rali dispositione non comprehenderentur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis Decreti tenorem, declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandauit expediri Breue Datum Romæ die 15. septemb. M. DC. XXXX.

**S. 3.** **Q**uapropter ut præmissa firmitus subsistant, & inuiolabiliter obseruentur, quantum cum Domino possumus, prouidere volentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, declarationem præinsertam, cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium perpetuo confirmamus. & approbamus, illisq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis, robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet superuenerint, supplemus, illaq; inuiolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit, in futurum obseruari.

**S. 4.** **S**icq; & non aliter in præmissis per quoscunq; Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales, etiam de latere legatos, & quosuis alios quacunq; auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum, quilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his, à quocumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari discernimus.

**S. 5.** **N**on obstando quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diuersa, constitutionibus Fel. recod. CLEMENTIS VIII. prædecessoris nostri prædicti ac omnibus illis quæ idem Clemens in Constitutione huiusmodi voluit non obstare cæterisq; contrarijs quibuscunq; Datum Romæ apud sanctam Mariam maiorem sub Annulo Piscatoris Die XXVII. Octobr. M. DC. XXXX, Pontificatus nostri, Anno Decimo octauo.

M. A. Maraldus.

In nomine & à Natiuitate Domini, 1640. indictione octaua, die vero 30. Mensis Octobr. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. VBBANI Diuina prouidentia Papæ Octauæ, Anno Decimo octauo retrospectæ literæ, publicatæ & affixæ fuerant, in acie Capi Floræ, & alijs locis publicis, & consuetis, per nos Hieronymum Mascellam, & Andream Castrucium eiusdem S. D. N. Cursorem.

Ita est Hieronymus Mascella S. D. N. PP. Cursor pro Dño. Magistro.  
Ita est Andreas Castrucius S. D. N. PP. Cursor, CL E.

## CLEMENS EPISCOPVS

*Servus, Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

*à l'Ima Januat.  
Imo Bulla  
hac legatur.*

**R**eligioſæ Congregationes, ab inſigni Sanctitate viris, Spiritûs Sancti afflatu inſtitutæ, tantas Eccleſiæ DEI utilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, magnam iure optimo diligentiam ſemper adhibuerint. Nam cum ea ſit rerum humanarum conditio & natura, vt etiam quæ optimè, fundata, & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuiſitate, partim dæmonis aſtutiâ, paulatim deficient, ac niſi cura peruigili ſuſtententur, in deterius prolabantur. Idcirco Summorum Pontificum Vigilantia magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum diſciplina, aut labefactata in priſtinum reſtituatur, aut ſalutaribus Conſtitutionibus communita, integra, atq; incolumis permaneret. Quorum nos veſtigijs, pro eodem Officij mûnere inſiſtere, & Paſtorales illorum ſollicitudinem ( quantum poſſumus ) Diuina adiutrice gratia cupimus imitari.

**S**i. **Q**uare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religioſæ vitæ profeſſoribus, ex Chriſti patrimonio quibusuis hominibus, quauis ex cauſa ſæpe tribuuntur, graua incommoda, & mala etiam, boni ſpecie exiſtant, præcauere ſtudentes, hæc noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, Vniuerſis, & ſingulis cuiuſcunq; Ordinis, mendicantiû, vel non mendicantiû bona immobilia: & redditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentium, vel non poſſidentiû, ſeu cuiuſuis Cõgregationis, Societatis & inſtituti ( non tamen Militiæ ) Regularibus perſonis vtriuſlibet ſexus, omnem, & quacumq; largitionem, & miſſionem munerum, penitus interdiciamus. Sub qua prohibitione, comprehendi volumus, omnia, & ſingula Capirula, Conuentus, & Congregationes, tam ſingulorum. Conuentuum, Monafteriorum, Prioratum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, Domorum, locorumque: quam Provincialia, aut Generalia, cuiuſlibet Provinciæ ſive vniuerſi Ordinis, Societatis, aut inſtituti, eorumq; vel earum Camerarios, Commiſſarios, & quocunq; Officiales, & ſingulares perſonas, ipſos etiam Ordinum Congregationum, & Societatum huiuſmodi Superiores, quacunq; dignitates obtinentes, etiam Generales, aut Provinciales, Magiſtros, Miniſtros, & quocunq; nomine Præfectos, nec non, Conuentuum, Monafteriorum, Prioratum, Præpoſiturarum

rarum, Præceptoriarum, domorum. & locorum, quorumcunq; Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam maiores Gvardianos, Ministros, Rectores, atq; Abbatissas, Priorissas, & alio quouis titulo Præsidentes, tam ipsi Regularibus, quam locorum Ordinarijs, seu quibusuis Superioribus, subiectas, vtriusq; sexûs ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeo vt nemo vnquam eorû vel earum directè, vel indirectè, palam vel occultè, tam cõmuni quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacunq; causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re mature discussa, vnanimi consensu omnium, superiorumq; permissa causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

§ 2. **I**D autem ita absolutè & generatim vetitum intelligatur, vt ineq; omnino fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis vel contributionibus, aut oblationibus, siue Eleëmofinis, subsidijs certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensæ seu massæ communis, seu cuiusuis Fabricæ, vt Sacrificiæ, quorum bona communiter, vt præfertur, administrantur. seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecunijs etiam, quæ à singulis quouis modo acquisitæ, in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso, à suis Superioribus, vel à proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à pijs Christi fidelibus, etiam Eleëmofinæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo perquemlibet religiosum, suo Monasterio, Domui, aut Loco acquisitæ, eiq; ut ad libitum de eis disponat, per Superiores concessæ fuerint; præterquam leuiores esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula, communi tantum, nunquam vero particulari nomine (vbi de consensu Superiori Conuentus videbitur) tradenda:

§ 3. **S**bet sexus, non solum per se, verum etiam per alios, tam directè quam indirectè, prohibitas declaramus.

§ 4. **N**equè vero quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiamsi munera miserit cuius personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cuiuscunq; status, gradus, dignitatis, Ordinis, vel conditionis, & quauis non solum mundana, & Ducali, Regia, Imperali, verum etiam Ecclesiastica, vt Pontificali, aut alia maiori etiam S. R. Ecclesiæ Cardi-



Cardinalatus dignitate fulgenti etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut Professionis Monialium, tam sibi subditarum, quam non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis vel Cōgregationis Protectori, Viceprorectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij, Prioratûs, domûs, aut cuiuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocunque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuiuscunque etiam simplici, & particulari Religioso, ita. ut inter ipsos quoq; Religiosos (ne prauâ ambitione impulsî, pro cōsequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus, alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucupetur) quæcunq; largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta

**§. 5.** **I**nsuper prohibemus, ne vnquam eisdem Regularibus, liceat illas pecunias quoquomodo erogare, in alicuius etiam Benefactoris, Protectoris, vel Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad Beneficiorum acceptorum memoriam, gratiq; animi testificationem, seu pro prædictis personis, quauis auctoritate, vel dignitate fulgentibus, honorificè, lautè, & opiparè excipientis, seu pro quibusuis conuiuijs eisdem, aut cuius alteri, quacunque occasione, vel causa exhibendis, vel pro commestationibus, aut computationibus quibusuis personis, tam eiusdem Ordinis, Cōgregationis, Monasterij, Domûs, aut loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intra Ecclesias, Monasteria, & domos sacras seu pias, vel extra eas, in quibusuis publicis aut priuatis Sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piè gestæ, etiam in memoriam Passionis Dominicæ, populis spectandæ proponuntur, aut alias in prædictis siue in quibusuis supervacaneis rebus, ad pompam & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinentibus. Nisi re ipsa pro Diuino cultu, veris Christi pauperum indigentis, seruato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum subleuandis; aut alias in rebus licitis, & per Capitulum Generale, vel Prouinciale, non prohibitis, vel Taxam ibi forsan præscriptam, non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

**§. 6.** **D**eclarantes tamen, per hanc laudabilem, & Apostolicam doctrinam sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam, imminui, aut

prohiberi. Quinimo si qui reditus ad id, vel ex fundatione vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus, aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, siue alias applicati, aut donati sunt, eos omnino (ut decet) integre in usus pios hospitalitatis. huiusmodi erogandos esse & praesertim in Monasterijs, seu locis desertis, & ab laicorum aedibus longius remotis, ubi tamen pauperum, & verè egenorum ratio imprimis habeatur.

**§ 7.** Si quos verò ditiores occasione transitus, siue alias ex denuerantione, aut necessitatis causa eo diuertere cõtigerit, eos sane deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaq; & ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis contentos esse; verum omnino ipsi Regulares, in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas & paupertas Religiosa prorsus eluceat.

**§ 8.** Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex praedictis Laicus alias quam ut superius dictum est, vel Clericus secularis, vel Regularis, quocunq; honore, praerogativa, nobilitate, aut excellentiâ etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate praeditus, etiam Protector Viceprotector loci Ordinarius. Praelatus, Generalis, Prouincialis, aut Monasterij Domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumue affines propinqui, familiares, aut Ministri. Vtriuslibet sexus, quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant.

**§ 9.** Quodsi vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Prouinciali, aut alio quopiam officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo, vel Congregatione; siue ab vniuerso Ordine, & Religione quicquam receperint, id quod acceperint, suum non faciant. Verum ipso facto, absque aliqua monitione iudicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad alius restitutionem omnino in utroque foro teneantur; adeo ut restitutione ipsa realiter non facta, neq; etiam in foro conscientiae absolvi possint.

**§ 10.** Hanc autem restitutionem fieri volumus, non priuatim ei Religioso qui donauit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Cõuentus, aut Cõgregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensa, aut massa cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita ut nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo aut Religio, cui restitutio faciendâ est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipere.

cipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget concedere, quoquomodo possit.

§. 11. **Q**uodsi quis ex supradictis Regularibus vtriusq; sexûs, cuiuscunq; gradûs, Ordinis dignitatis, ac vbilibet locorum existentibus coniunctim cum cæteris, seu diuifim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, vt somnibus & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs, eo ipso priuatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda, inhabilis perpetuo, & incapax ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat. Et præterea priuationem vocis actiue & passiuæ absq; vlllo Superioris decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat: nec non vltra huiusmodi pænas, etiam tanquam contra furti & simoniæ criminum reum, tam per viam denuntiationis, accusationis, aut querelæ: quam etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisq; supplicijs affici debeat.

§. 12. **P**ænis alijs à iure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusvis Ordinis Congregationis, Monasterij, Domûs, aut loci statuta, aut consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes, forsân decretis, & inflictis, nihilominus in suo robore permanuris.

§. 13. **Q**uæ circa Vniuersis & singulis modernis, & pro tempore existentibus locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs & Officialibus: nec non quorumcunq; Ordinum, Prioratum, Monasteriorum et. Domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Prouincialibus, cæterisq; ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus; quatenus ipsi & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, & vigilantia, præsentem Constitutionem firmiter, & inuolatè obseruari, & contra inobedientes, vel transgressores, condignis pænis animaduerti. Eisdem inobedientes, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, per opportuna iuris, & facti remedia, appellatione, postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc (si opus, fuerit) auxilio brachij sæcularis.

§. 14. **N**on obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictorumq; Monasteriorum, Prioratum, Domorum, locorum nec non Ordinum, Congregationum, Collegiorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, priuilegijs quoq; inductis, & literis Aposto-

licis, quorumcunq; tenorem existant, perq; presentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus presentis nostrae Constitutionis impediri quolibet modo valeat, vel differri, & de quibus quorumcunq; tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quae omnia quatenus praemissis in aliquo aduersentur, prorsus tollimus, & abrogamus, caeterisq; contrariis quibuscunq;.

**§ 15.** **V**olumus autem, vt praesentes literae in valuis S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum & in Aede Campi Florae publicentur, affixis in ibi earum exemplis, & dimissis. Quodq; earum exempla, seu illorum compendia, in libris quorumcunq; Statutorum, praedictorum. Monasteriorum. Prioratum, Collegiorum, domorum, Ordinum, & Congregationum (quo ad Moniales, in Vernaculum, & vulgarem cuiusq; Regionis sermonem versa) & a loci Ordinario, qui id quam primum fieri curet, subscripta inserantur, & saltem quotannis in Capitulis, siue Congregationibus cuiusq; earum alta & intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexaginta dies, a die publicationis (vt praefertur) in Romana Curia facienda, vnum quemque citra montes ultra mores vero, post quatuor Menses perinde ardeant, & afficiant ac si cuique personaliter intimatae, & per eos iuratae fuissent.

**§ 16.** **Q**uodq; earum transumptis etiam impressis manu Notariae publicae subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, obfirmatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubiq; adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae, vel ostensa.

Nulli ergo omino hominum liceat hanc paginam nostri interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae in Monte Quirinali Anno Incarnatoris Dominicae. Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Quarto. Tertio decimo Kalendas Iulij Pontificatus Nostri Anno Tertio.

L. Card. Prodat

M. vestrius Barbianus A de Alexijs.

Registrata apud Marcellum Secret.

In nomine & a Natiuitate Dni Mill. Quingent. Nonag. Quarto, Indictione septima, die vero secunda Mensis Iulij Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Clementis Diuina pouidentia Papae Octauae, Anno Tertio.

no Tertio retroscriptæ literæ publicatæ & affixæ fuerunt in Acie Gam-  
pi Floræ, & alijs locis publicis, & consuetis Per nos Prosperum Spada,  
& Franciscum de bonis eiusdem S. D. N. Curs. Ita Franciscus de Bonis  
S. D. N. PP. Curs. Gabriel Sauallerus Curs. Magister Concordat cum  
Originali.

*Finis hæc  
Constituone,  
legatur Urbani p  
Confirmat vt sup*

*Decreta pro Reformatione Regularium, tam Monachorum,  
quam Mendicantium cuiuscunq; Ordinis & Instituti.*

CLEMENS PAPA VIII.

- I. **N**ullus omninò prætextu cuiuscunq; privilegij, vel superiori-  
tatis, etiam Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis,  
nisi pro tempore, quo, quis in proprii Officij munere actu fu-  
erit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores ijs  
tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare  
possint; idem quoque præstare valeant cum ægoris, & studiorum causa  
legitimè impeditis. in eos verò, qui negligentis, aut inobedientes fue-  
rint, salutarè prænitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regu-  
læ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.
2. Lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientie bis in hebdo-  
madâ præscriptis diebus in singulis Monasterijs, & Conventibus habeat-  
ur, ad quam fratres omnes conueniant, eaq; absoluta, mutua collectione  
circa explicatam doctrinam sese vniuersim exerceant
3. Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo  
fidelius observentur; præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiam si Superior  
sit, bona immobilia, vel mobilia aut pecuniã, proventus, census eleëm-  
synas, siue ex concionibus, siue ex lectionib<sup>9</sup>, aut pro missis, tam in pro-  
pria Ecclesia, quàm vbicunq; celebrandis, aliouè ipsorum iusto labore,  
& causa, & quocunq; nomine acquisita, etiam si subsidia consanguine-  
orum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam  
propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit: sed ea omnia sta-  
tim Superiori tradantur, & conuentui incorporentur, atque cum cæteris  
illius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus, confundantur, quo  
communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.
4. Neque Superioribus, quicunq; illi sint, vilo pacto liceat eisdem  
Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsum fructum, vel  
vsum

*Itio, Decreto  
Infra scripta  
legantur*

vium, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodie nomine concedere.

5. Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquã possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur.

6. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Concilio Tridentino præscriptas: sed alias quoque multò grauiores Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7. Nulla quorumcunq; Superiorum dispensatio, nulla licentia, quãtum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quo minus culpæ, & pœnæ ab eiusdem Concilij decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint, etiam si Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8. Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia cõparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & quorumcunq; Superiorum, statutq; paupertatis, quàm professi sunt, conueniant: ita ut nihil superflui admittatur nihil etiam, quod sit necessarium alicui degeneretur.

9. Quæcunq; Fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omninq; alia supellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibiq; ab vno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

10. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemq; obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in cõmuni mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vllò modo afferri possit. Si quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimentari percipiat, nisi panem & aquam.

11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiare rationes, officiorum habent, eorum accepta & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent neque in alios vsus, quam ratione officij sui necessarios, quicquã expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo Conuentu cõmorari, eam pecuniæ quantitatem in conuene conferant, ex qua sibi, & ijs, qui secum erunt, vitæ ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.

12. Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum aut aliarum rerum, dispensationemq; pecuniarum, & reddituum sui Conuentus,

Conventus, etiam nomine conventus, per se ipsum habere, siue exercere possit; sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem conventus a Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & honorum, redditumq; colligendorum, ac exigendorum curam habeat: alter tanquam depositarius, pecunias, ac cetera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet: alius de pecunijs & rebus a Depositario acceptis Priori, & fratribus, ac cōuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

13. Ceterum hi tres, tam impensi, quàm accepti singulis mensibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatoribus, rerumq; vsu peritis, rationem reddant. Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali cum aduenerint, denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc cōstitutis, illorum omnium, vniuersamq; suæ administrationis tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.

14. In vno quoque Conuentu, fratrum is tantum deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleëmodynjs, alijsvè quibuscunque obuentioibus in commune (vt præfertur) conferendis, commodè possit sustentari: reditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asseruentur.

15. Superioribus autem, ne Concilij Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare vilo modo possint, omninò interdiximus, & prohibemus, decernentes irritum &c si quis autem cōtra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioq; priuatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.

16. Nullus nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui grad<sup>o</sup> priuilegio gaudeat.

17. Si alicui ex necessaria causa, Generalis iudicio probanda, socius ex eodem ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri potest, sit Laicus conuersus.

18. Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, conventus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur, ac propterea a superiore in  
nitor

nitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianuarum custodiendæ semper affluat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtrouerit.

19. Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio licentiaq; singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu; sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur.

20. Contravenientes autem pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

21. Cum autem quis in conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid sui actum sit, diligenter perquirat.

22. Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint.

23. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiuâ biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant.

24. Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur cellas omnes referare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

25. In medio dormitorij tota nocte lampas colluceat.

26. Nullus etiam Superior cellas siue in claustro, siue alibi separatas à communi dormitio habeat, sed vnusquisq; vnica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, vniformiq; supellectili (vt præfertur) quemadmodum Religiosos decet, contentus sit, possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognouerit; alteram etiam cellam concedere.

27. Pellæ siue ediculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem vsum, & commoditatem Conuentus redigantur.

28. Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt,



29. In privatis cellis nulli camini permittantur: sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris ac Prædicatoris exceptis.

30. Conuentus fenestraz omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

31. Valetudinarium in singulis Conuentibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui vero infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

32. Ineatur ratio, qua sublaris licentijs ac facultatibus hætenus quibuscunq; concessis, degentes extra Conuentus claustra ad ea quam primum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

33. Nulli in posterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Cõuentibus per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

34. Curent, Superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Cõuentu inuiolabiliter obseruetur.

35. Ut omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant, omnes à directa, vel indirecta vocatione, seu suffragiorum procuracione, tam pro se ipsis, quam pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias poenas, & censuras hætenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis disputari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

36. In Superiorum & Officialium omnium electionibus forma præscripta à sacro Conc. Trid. & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentq; electores secundum veritatem cuiusque conscientie probiores,

biores. ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipue eligantur, qui possint, & consueverint regulas Ordinis, & constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex fratribus cuiuslibet Provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promovendos ad quoscunque Ordines, in quo servetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilii Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38. Illud porro superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in nouissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quæ in eorundem Ordinis, regulis, & constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiunijs, Capitulo culparum, alijsq; spiritualibus exercitijs prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad vnguem observentur, intelligantq; super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ ut faciliorem exitum sortiantur, & fructus uberiore in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regulariq; observantia.

39. Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo vniuscuiusq; Conventus, in qua distinctè adnotetur quid singulis horis cuiusq; diei quilibet frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, maiore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis constitutiones, his decretis non aduersantur, inviolatè custodiendæ erunt.

40. Quibus horum decretorum capitibus certa poena præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Ut autem hæc decreta (donec alia, quæ plenioris reformationem faciēt, edantur) ab omnibus observari possint, districtè præcipimus Generalibus ac omnibus alijs quibuscumq; Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent  
ac effi.

ne efficiant ea omnia inter alias eorundem Ordinum constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & aduersus eas vnquam dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Generalat<sup>o</sup>, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoq; munera ipso facto, & sine vlla exceptione respectiue incidisse.

41. Ne verò prætextu dilataz publicationis eorum obseruatio, quomodo differri possit, aut impediri, volumus, vt post illorum publicationem in Conuentu, vel Monasterio cuiuslibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, aliosq; Ordinum Superiores, ceterosq; quoscumq; Fratres præsentés, statim: reliquos verò absentes citra montes, vnus mensis, vltra montes, trium mensium spatio ita arceant, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

42. Insuper mandamus, quòd Generales in singulis Conuentibus citra montes, vnus mensis: vltra verò montes, trium mensium cursu decreta supradieta publicari faciant, sub pœna priuationis Generalatus, alijsq; arbitrio nostro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. mensis Iunii, 1599.

*Institutiones super receptione, & educatione Nouitiorum Religiosorum in Monasterijs, & Conuentibus designatis, vel designandis Clementis eiusdem iussu edita.*

§ 1. **C**um ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasterijs propagandam, Nouitiorum institutio maximè utilis sit ac necessaria; & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quàm, vel nimiam in recipiendis Nouitijs facilitatem, supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo atque ex præcipuo desiderio illi inseruendi, vel denique incuriam, in eis educandis, atque instituendis. Idcirco, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitijs, & in eorum institutione, atque educatione, nec non in Magistris, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, ac decretis præsertim Concilij Tridentini, Pontificijs & cuiuscumq; Ordinis, aut Instituti constitutionibus continentur, tam in alijs designatis, quàm nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasterijs, & Conuentibus, hæc quæ sequuntur, inuiolatè obseruari, & exequi perpetuò curent,

V;

§ 1. Pri-

*4to Institutiones  
Infrascripta  
legantur.*

§ 2. Primum, quòd attinet ad Novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque naturalibus, corporis habitudine, moribus, & vita antea facta, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauari, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam constitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum subsecutarum. illud etiam superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, vt, quibus in Monasterijs, Cõuentibus, ex Apostolica facultate Novitiatus fuerint instituti, in ijs ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui, & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus Summorumq; Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, iuxta D̄cretum super forma de recipiendis Novitijs die 19. Maij 1602. editum.

§ 3. Quisq; recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicanti, in ea sit ætate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur regularia instituta, & ordinationes requirunt; eam vero literarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præferat, vt minores, & suis temporibus, maiores Ordines iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini suscipere valeat. sed si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expertus inuentus fuerit, in Conuersorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur: ipsi autem Conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum: & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint.

§ 4. Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari possint, an potius leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

§ 5. Prouideant quoque, vt omnes, etiam Conuersi recipiendi: priusquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs quibus munus hoc incumbit, etc. regula, quam professuri sent, tribus votis essentialibus, statque regulari, & alijs cuiusq; Ordinis peculiaribus institutis, & Constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, ne dum conuersos ad professionem admittendos, verum, & oblatos, vt vocant recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem vnaque

que Religio suas peculiare Constituciones, specialiaq; instituta obseruare teneatur.

§ 6. Statim atque nouitij ad habitum recepti, & in locum nouitiatûs introducti fuerint, per generalem omnium peccatorû confessionem totius anteaactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

§ 7. Quòd verò ad loci qualitatem vniuscuiusque nouitiatûs spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentûs, & Monasterij, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatq; tot ad dormiendum cellulas separatas, quæ erunt numero nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli commodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur.

§ 8. In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesq; Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

§ 9. Oratorium insuper, seu Capella, si commodè fieri poterit, ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in caremonijs, Ecclesiasticisq; functionibus exercendos.

§ 10. Hortus quoq; peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atque monitus adsit, sin minus, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur, ipsis verò Nouitijs ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

§ 11. Ad huiusmodi locum Nouitiatûs nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Conuentûs, & Monasterij Officiali, vlllo vnquâ tempore sub quouis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro, eiusque socio, ac etiam Monasterij, aut Conuentûs Superiori, si quandocunque ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquens semper ex Senioribus Conuentûs, vel Monasterij Patribus sociû assumat.

§ 12. Huius loci clausuræ clavis apud Magistrum semper asseruetur, illique soli liceat ex graui tantum causa ingressum illuc sicuti permittere: si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præse, & non aliter alloquatur.

§ 13. Novitiorum Magistro socius, si per Novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his quæ ad Nouitiatûs regimen spectant, dicto

dicto Magistro immediatè subiectus existat. eliganturq; tam Magister quam socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quòd, si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum, & Socij huiusmodi in his novis locis per Generalem, vel Provinciale, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu fieri permittitur: idemq; servetur, si intra triennium, alterum, vel utrumq; vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

§ 14. Tam Novitiorum Magister, quam socius ab ijs omnibus officijs oneribusq; vacationem habeant, quæ Novitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sic initiatus, ac in quinto saltem supra trigésimum ætatis suæ anno constitutus & per decennium à professione emissa in Religione persliterit: Socius vero trigésimum annum excedat, sintq; ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires, fieri poterit, vitæ etiam antæctæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateq; referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine præferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præsertim, & indignationis, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissimè alieni, & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, ut ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quam vereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.

§ 15. Habeat etiam Magister plenam & absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

§ 16. Curam adhibeat diligentem, ut Novitij omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque præcipuè *Disciplinam*, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit atque perfecta votorum solemnium, & quam necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum observantia, modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est atque proclivis) per sensum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, di-

discipli-

sciplinas, conscientie puritatem, crebra illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperiitionem quotidianam motuum interiorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumq; silentium.

§ 17. Quilibet Novitijs bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisq; examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem Novitiorum confessiones audire.

§ 18. Quotidie Missæ sacrificio intersiat, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisq; Divinis Officijs assistant.

§ 19. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatq; semper Magistro præsentate, vel socio, qui multum inuigilent, ne duo ab alijs commorentur disuncti, atque eo tempore, cuiusque, in quam natura seratur propensionem, scrutentur.

§ 20. Non liceat eis, durante Novitiatus, & probationis tempore, vna cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore Officiorum, in processionibus, aut in cænaculo, causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

§ 21. Pro communibus, & proprijs cuiusque necessitatibus, quæ accedere possunt, vnus ex Novitijs ipsis, ætate, moribusq; provecior deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuz custodia, & rerum leuioris momenti provisio, intra novitiatum committi poterit.

§ 22. Cùm autem, licet Clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen religiosa instructio non sit præmittenda, quin potius æquanimitè amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cùm regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum Religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atq; vtilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus (quæ-

tum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conventuum iuxta cuiusque Ordinis statuta, & constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debent, à quo non tantum circa corporalia obsequia probandi & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Novitijs fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesijs statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officijs actualiter occupati fuerint.

§ 23. Tempore verò probationis elapso, ij tantum, qui non solum religiosæ perfectionis capaces: sed ad laborem corporalem apti nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annum, quo ad Clericos decimum sextum, quo vero ad Conuersos, vigesimum primum excellerint) ad professionem admittantur. Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

§ 24. Superior cuiuslibet Conventus, in quo Novitatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo vniuscuiusque Novitij Professio registretur, illamq; Novitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentés fuerint, subscribant,

§ 25. Conuersus verò literarum ignarus, professus, in eorundem testium, qui se subscripserint præsentia, propria manu signum Crucis apponat, asserueturq; liber, & custodiat in archivio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu Conuentum pertinentes reponi consueverunt.

§ 26. Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis vsus est receptus declaratur, quòd licet decretum sit, ut Novitijs educandis certa Monasteria aut Conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conventuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est, eos, quos prænaratis qualitatibus suffultos repererint in suorum locorum filios iuxta cuiusque Ordinis constitutiones adscribere, sicq; adscriptos, cum iuxta præsentés Institutiones, & alias, servatis seruandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatum cum testimonialibus literis transmittere, vbi tanquam dictorum Conventuum, seu Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Novitiatu probati, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conventus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut præmissum est, exerceri debeant,



§ 27. Porro, ne loca vnius Monasterij, seu Conventus, ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut Provincialis partes erunt, numerum præcibere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis Cõventibus, & Monasterijs præscribere, quæ magis expedire videbitur.

§ 28. Vt autem Novitij iam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti melius in bono spiritu, regularisq; disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur, mandatur, vt statim post professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasterijs, pro Nouiciatibus assignatis locus aderit secundi nouitatus siue Professorij, ab ea, quæ Novitiorum est, atq; antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat, sin minùs, in alium commodiorem Conuentum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiat, vel accomodetur, aut de nouo construatur.

§ 29. Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ, suarum constitutionum, seu institutorum vigore maioris temporis cursu nouos professos intra Nouitiatum detinere consuecunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, vt, prædictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi ac Religioni magis expedire dijudicauerint, quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam seruant antiquiores professi, ita quod in negotijs Monasteriorum, aut Conuentuum non se intromittere, nec cõmunibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousq; ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenierint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt quinimo, & debebunt literarum studijs operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

§ 30. Declaratur tamen, quod propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Novitios, nisi in locis pro Nouiciatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero damtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

§ 31. Denique si illi qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quouis modo cõtraxerint, officiorum omnium, quæ tunc

obtinebunt; priuationē, grauioresq; pro modo admittē culpā pēnas, se subituros certō sciant. Dat. Romæ apud S. Petrum die 19. Martij. 1603.

*Sto sequentia  
Decreta Urbani  
Sui legantur.*

## DECLARATIO APOSTOLICA

*De Observantia Regula, perquam omnia Regula  
aduersantia abrogantur pro Reformatione.*

## VRBANVS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**S**acrofanctum Apostolatus ministerium humilitati nostræ nullo licet Smeritorum suffragio, Divina dispositione commissum postulat, ut inter gravissimas multiplicesq; Apostolicæ sollicitudinis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam personæ sub suavi Religionis iugo Salvatoris, & Domini nostri obsequijs famulantes felicioribus in dies proficiant incrementis. Cum itaq; sicut accepimus dilecti filij Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia assiduis verbi Dei prædicationibus continuaq; Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, nec non alijs Spiritualibus exercitijs vberes in vinea Domini fructus iugiter afferre noscantur. Nos ut Fratres prædicti in tam laudabilem operum exercitio eo alacrius perseverent, quo amplioribus fuerint ab hac Sanctâ sede favoribus muniti providere nec non felici illorum statui, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes nec non statuis, & per eos in Capitulo Generali proximè præterito decretis inhærentes ac supplicationibus etiam dilecti filij Bernardini de Senis eiusdem Ordinis Ministri Generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinari; quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli eiusdem Ordinis professores, iuxta dicti Ordinis Regulam nec non declarationes a piæ memoriæ Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, desuper emanatas, cum calepodijs, seu sandalis apertijs, duntaxat incedere teneantur, neq; alio pedum operimento, siue panneo, siue alterius cuiuscumq; materiæ existat, abiq; expressa licentia uti possint; quodq; integrum eorumdem professorum vestimentum, duabus tantum tunicis constet, & constare debeat. Una scilicet cum caputio & alia sine caputio ut eadem Regula præscribit; neq; eiusdem Ordinis professores tertia tunica seu camisia staminea, aut interula siue sudarijs, vel alia quacunque re contra eiusdem Regulæ tenorem etiam in vim cōcessionis felici record. Iulij Papæ II,

etiam

etiam prædecessoris nostri, siue alio quouis prætextu & ex quacunq; causa villo modo vti valeant Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo statuimus, atque declaramus prædictique Iulij prædecessoris, & quascunq; alias concessionones siue indulta, tam per litteras Apostolicas, & motu proprio, quam viua vocis oraculo, & alias quomodolibet concessa eidem Regulæ quomodolibet contraria abrogamus. Decernentes litteras præsentis semper & perpetuo validas, firmas & efficaces existere, & fore, suos que plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ab omnibusq; dicti Ordinis Fratribus inuiolabiliter obseruari, sicque & non aliter per quoscunq; iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii, Apostolici Auditores vbique iudicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quouis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædicta Iulij prædecessoris, ac quibusuis alijs concessionibus siue indultis huiusmodi, nec non constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs quibuscunq; Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Maiorem suo annulo Piscatoris, die 1. Octobris 1625. Pontificatus nostri anno tertio.

PRO REFORMATIS  
V R B A N V S P A P A V I I I .

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**M**ilitantis Ecclesiæ Regimini Divina dispositione præsentibus, ad ea, per quæ cunctorum Christi fidelium præsertim Religiosorum Deo sub Reformatione ad arctiorem Regularis disciplinæ Observantiam introducta vacantium spirituali directioni, nec non felici progressui consulitur, libenter intendimus, eaque statuimus, & ordinamus, quæ eorum temporum m. & personarum qualitatibus debite pensatis, ipsorum Religiosorum statui conducere in Domino conspiciamus. Ad haberes itaq; & fructus, quos dilecti filij, Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Reformati, nuncupati Prouinciarum Italiæ in prædicta Ecclesia afferunt, mentis nostræ adiem conuertentes, quo laudabile promissum institutum maioribus in dies proficiat in via Domini incrementis, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine harum tenore perpetuo, statuimus & ordinamus, ut in vnaquaq; eorundem Reformatorū Italiæ Prouinciarū, vel duo Profes-

soria instituatur, in quibus Fratres Clerici eiusdem Ordinis, quam pri-  
 mum probationis, seu nouitiatus annum cōpleverint, & professionem emi-  
 serint regularem, collocentur; Professorijsq; huiusmodi vnus Magister  
 pro quolibet deputetur qui prædictos Fratres Clericos in vita Spirituali,  
 & orandi modo, ac Religiosæ perfectionis viâ instruat; qui quidem cleri-  
 ci anno vt minimum in professorijs huiusmodi commorari debeant, &  
 interim nullam scientiam edoceri possint, excepta Grammaticâ, & Logi-  
 câ, si eius rudes fuerint Præterea in duobus aut tribus cuiusque Provin-  
 ciæ Conuentibus Theologiæ moralis lectio fiat, cui omnes Patres Sacer-  
 dotts, & Clerici his qualibet hebdoma intersint. In singulis verò Cōven-  
 tibus Theologia mystica, & Ordinis prædicti Regula semel saltem in qua-  
 què hebdomada perlegatur, huic perlectioni, tam Fratres Sacerdotes, &  
 Clerici, quam Laici interesse teneantur. Ad hæc Fratres Reformati hu-  
 iusmodi nullum omnino legatum perpetuum cum aliquo, aut sine vilo  
 onere etiam Ecclesijs & Sacristijs ipsorum, etiam pro vino ad Missarum  
 celebrationē, aut oleo pro lampadibus, vel quacumque re pro altaribus  
 factum recipiant; ipsorum Procuratores, aut Syndici hæredes legantium  
 ad præstanda eiusmodi legata iudicialiter convenire non possint. Insu-  
 per Fratres prædicti ad quascunque Processiones, præterquam ad Proces-  
 siones in die Feste Corporis Christi, aut aliquam aliam generalissimam  
 non conueniant, defunctorumq; corpora, exceptis ijs, quæ in eorum Ec-  
 clesijs sepeliuntur ad sepulturam minimè comitentur: altarium orna-  
 mentis, deinceps aurum, vel inauratio non adhibeatur; imaginumque,  
 seu picturarum eorundem altarium, coronides è nuce aut alio eiusdem  
 coloris ligno, fiant, nec candelabra ænea recipiantur aut emantur ampli-  
 us, sed tantummodo lignea è nuce, Nouitij in Proviacijs prædictis infra  
 annum cum interuentu Ministri, ac duorum Diffinitorum Provincialium,  
 & duorum Guardianorum recipi possint iuxta decretum sæc. rec. C L E-  
 MENS VIII. prædecessoris nostri hac super re editum. Demum Fratres  
 prædicti exceptis in infirmaria illis, qui indiguerint, particulas ex panno  
 lineo, etiam in itinere sub quocunq; prætextu, nequaquam deferant, parti-  
 culas vero ex panno lano illi deferre possint, qui eis loco tunicæ vti vo-  
 luerint. Quocirca dilectis filijs, Ministris Provincialibus, & Guardianis,  
 alijsq; Superioribus quibuscunq; diætarum Provincialium nunc & pro tem-  
 pore existentibus in virtute S. Obedientiæ, ac sub pœna priuationis suo-  
 rum officiorum eo ipso, absq; alia declaratione incurrendis committim⁹  
 & mandamus, vt præsentis nostras literas, ac omnia, & singula in eis

contenta à Fratribus sibi subditis inuiolabiliter obseruari curent, & faciant, cæterisque verò earundem Provinciarum Fratribus, etiam in virtute S. Obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, aliisque, arbitrij nostri pœnis eo ipso, vt præfertur, incurrendis, præcipimus, ut præmissa omnia, & singula prout ad vnumquemque, eorum spectauerit, exactè, & inconcussè obseruent, & adimpleant. Non obstantibus &c.  
Dat. Romæ &c. 1641. Pontificatus nostri, Anno 19.

*Legatum usq;  
ad hunc locum?*

*Sex documenta Beati Bonauentura, cuilibet proficere volenti vtilissima.*

**I**N Conuentu Fratrum Minorum Parisijs conuersante Beato Bonauentura, tunc Generali Ministro, quidam iuuenis Frater bonæ indolis, & ei satis familiaris, accessit ad eum semel, & deuotè rogauit, vbi sibi exponere dignaretur, quomodo iuuentus sua posset in sacro Ordine Minorum conseruari sine macula, & ad vitam proficere meliorem. Cui Sæctus Bonauentura cum magno suspirio respondit: Fili mi iuuenis, si vis sine macula & quærela vsque in finem conseruari in Religione, hæc tibi sex documenta reconde in animo.

Primum: Vt circa orationem & sanctam lectionem iugiter vigiles: quæ duo vt explere possis, & ea non perdere, Ecclesiam valdè frequenter die ac nocte, cellam visita super omnia, ita quòd extra eam nunquam inueniaris otiosus, sed semper finito officio, vel comestione, vel alterius obedientiæ mandato, oculis inclinatis te ibi recolligas.

Secundum: Circa honestatem cordis, & omnium sensuum corporis, super omnia stude: quòd vt implere valeas, nunquam cum aliqua persona specialem familiaritatem habeas, sed omnibus sis communis, ita quòd nullus possit dicere te nisi communem, & nulli specialem.

Tertium: Circa custodiam linguæ studiosissimus es, ita quòd nunquam (quando stas cum alijs) loquaris nisi necessaria: & hoc requisitus, nec laudes vel vituperes aliquem, absentem vel præsentem.

Quartum: Sis summè sollicitus dum loqueris cum aliquo, ne vni referas vel loquaris de his quæ audis ab alijs, nisi talia sint ædificatoria.

Quintum: Versetur in corde tuo frequenter passio Iesv Christi, memoria beneficiorum DEI, peccatorum tuorum, gaudium paradisi, penarum inferni, tribulationum & miseriarum totius mundi.

Sextum: Sis sollicitus non iudicare in corde tuo, aut ore aliquem, nisi

nisi ipsum, & non detrahas alicui, vel de aliquo murmures, sed magis excusa quantum potes sine peccato, & mendatio. Hæc faciens salua-beris, & euades pericula inter Fratres & homines,

*Singularia Præuilegia impetrata per B. FRANCISCV M, & eidem pro Ordine suo & eum diligentibus à Domino DEO collata.*

**Refert D. GREGORIUS PAPA IX.**

Se audiuisse à B. FRANCISCO dum Viueret, ipsum Sanctum à Domino DEO tria Præuilegia obtinuisse.

Primum. Quod quanto plures Fratres essent in Ordine, & eorum numerus augetur, tanto abundantius eis prouideretur.

Secundum. Quod nullus in habitu posset malè mori, *Intellige sanè*, videlicet dum modo vita sit conformis habitui, quod ad Fratres: & deuotio erecta, & compuncta, quod ad seculares.

Tertium. Quod quisquis Ordinem suum persequeretur, grauitèr à Domino puniretur, & dies suos in breui, & malè finiret.

*Itèm dicit B. FRANCISCVS tria inter alia se habuisse Præuilegia à Seraph. sibi in monte Aluernæ apparsente, tempore stigmatizationis suæ.*

Primum. Quod professio Fratrum suorum, siuè Ordo suus, durabit usque in diem iudicij.

Secundum. Nullus volens in Ordine malè viuere, poterit ibi diu perseuerare.

Tertium. Quod quicumque ex corde diligeret Ordinem suum (quantumcumq; sit peccator) misericordiam à Domino consequetur pœnitendo.



# S T A T V T A

## Ex Generalibus Capitulis & Congregationibus excerpta.

**C. 7.** Si quis Frater Prælati suo in culpa, vel mensa responsiva, & Passiva per annum, & cui hæc non competit pœna, alleplectatur, ad arbitrium Ministri Provincialis.

Cap. Salm: 1553.

Qui per malitiosam concordiam, seu conspirationem; aduersus alium maxime Superiorem se erexint, omnibus Officijs Ordinis sint priuari, quousq; per condignam satisfactionem, per Generalem vel Prouincialem fuerint restituti.

Et ad sustollendos discursus, & vagationes Fratrum, & alia inconuenientia quæ nil addunt, sed potius adimunt, Venerationi Religionis, præcipimus & mandamus Patribus Provincialibus Ministris, per S. Obedientiam, ne Fratres per Capitulum Prouinciale, vel Congregationem locatos, infra annum mutent, nec mutare locum permittant, nisi pro seruitio Prouinciarum.

Cap. Paris. 1579.

Ac præterea, si præter Apostasiam; aduersus Apostatam habeatur suspicio criminosa, Prouinciales Ministri in sua quisq; Prouincia opportunos Processus formare, & de indicijs, & de crimine prætenso inquirere diligenter curent. Processusq; & scripturas eiusmodi, in Prouinciali Archiuo seruent: Ut in eius spontanea, vel coacta reuersione, in eum iuridicè procedi possit, à quocunq; eius legitimo Superiore; & non reportet beneficium ex culpa perpetrata. Id autem vt inuiolatè seruetur, districtè præcipimus, sub priuationis Officij pœna, Prouinciali Ministro negligenti subeunda.

Cap. Valis. 1593. De Apostatu.

Si quis inventus fuerit rebellis aut inobediens suo Guardiano, & in communitate, vel extra illam, aliqua verba iniuriosa contra illum iactasset. Carceri mancipetur; donec factus certior Minister, de remedio opportuno prouideat.

Congreg. Roma. 1615.

**C. 4.** Quicumque in aliqua Prouincia incorporatus, ad suam reuerſi impetrauerit, in sua mobilitatis potestatem, non recipiatur, nisi per bimestre caparorem portauerit.

Congreg. Segon. 1621.

**C. 5.** Si quis Fratrum extra Capitulum, vel Congregationem,

(composito iam Conuentu, à Ministro Provinciali, & numero Fratrum præfixo) licentiam obtinuerit, sua petitione & instantia, de alio in alium Conuentum habitandi, locum inferiorem habebit, omnibus Sacerdotibus; & voce actiua & passiuâ, per tempus à Ministro Provinciali taxandum, priuatus exister.

*Congreg.  
Roma:  
1628.*

Declaratur, duas Custodias Reformatorum Poloniæ fuisse benè institutas, easq; & ad idem institutum seruandum teneri; & eisdem Privilegijs, & prærogatiuis gaudere, quod seruant, & quibus gaudent Custodiæ Reformatorum Italiæ.

Conuentus Glivicensis, olim ad Provinciæ Boemiæ Fratres spectans, ac deinde Reformatis Provinciæ Poloniæ assignatus, declaratur incorporatus Reformationi Provinciæ Poloniæ; præcipiturque vt in posterum non liceat Provinciali Boemiæ, vel alteri Patri eiusdem Provinciæ, aliquid in contrarium attentare, sub pœna priuationis officiorû, actuumq; legitimorû ijs, qui contra fecerint.

*Cap. Tolet  
1658.*

*Pro vtraq;  
Familia.*

7. In electione Proministri seu Procustodis; ad Generale Capitulum siue ad Cōgregationē Generalem mittendi si contigerit suffragia in Provincijs etiam Reformatis intra vnus diei spatium non conformari, ita vt ex discordia eligentium, electio non sequatur; Electio deuotatur ad Superiorem Generalem, qui non nisi eiusdem Provinciæ Patrem emeritum nominabit.

13. Subrogationes tam in Observantia, quam apud Reformatos fiant à toto Diffinitorio, & non à solo Ministro Provinciali.

15. Declaratum fuit in pleno Diffinitorio, quod in casu cuiuscunq; decisionis, minor pars Diffinitorij debet subscribere sententiam maioris partis, etiam inter Reformatos.

*Pro Familia  
vltra  
montana.*

11. Statuitur, quod in Provincijs etiam Reformatis Diffinitor in eodem Capitulo, in quo explet diffinitorium, eligi poterit in Custodem immediatè absq; vlla vacantia, sicut etiam inter Reformatos ipsos, fuit semper vsu receptum.

16. Præcedentia antiquitatis inter Reformatos, attendi debet à susceptione habitus non à professione; dum modo habitus susceptus fuerit in debita ætate illum suscipiendi.

17. Non liceat Ministro Provinciali, & Diffinitorio etiam Reformatorum infra annum, & extra Capitulum, & Cōgregationem mutare Guardianum, se vno Conuentu ad alium, absq; renuntiatione, & noua electione, nisi de consensu amborum Guardianorum, & Diffinitorij.

18. Decla:



19. Declaratum fuit in pleno Diffinitorio Generali, quod accipere renuntiationem Guardianatus extra Capitulum, & Congregationem etiam inter Reformatos spectat ad Diffinitorium Provinciae & non ad solum Ministrum Provinciae.

Vt multis abusibus, & periculis occurratur, statuimus, vt quae die quisque Fratrum itineris causa discesserit, & quae item accesserit, ab eisdem Cōuentuū Superioribus, in ea ipsa facultate discedendi, fideliter noveretur. Si secus fecerint Praelati, ab officio suspendantur per mensem; & subditi sicut Apostatae plectantur, &c.

14. Statuitur, quod de nouo reuertentes ad propriam Provinciae in alia incorporati, non gaudeant praecedentia nisi à die nouae receptionis, & incorporationis, subeantq; poenam taxatae per Constitutionem Generalem Segouiensem.

2. Declarat Capitulum Generale, competere Provinciae Minoris Poloniae praecedentiam, & locum supra Prouinciam Maioris Poloniae, iuxta tempus suae erectionis, non obstante quod in statutis sit posita posterior, & ita obseruari mandauit.

10. Declarat Diffinitorium Generale liberum esse Ministro Prouinciali cum suo Diffinitorio, tam inter Obseruantes, quam inter Reformatos, mortuo alicuius Conuentus Guardiano, etiam post solemnitatem Sancti P. N. FRANCISCI, loco defuncti alium eligere Guardianum.

Guardiani, qui sine interuentu Discretorum Conuentus rem aliquam alicuius ponderis miserint ad alium Conuentum, à Prouinciali grauius puniantur; similiter qui ad singularem aliquem Patrem vel Fratrem dona miserint, puniantur iuxta Decretum Urbani Octauo.

10. Obtinentes literas obedientiales à quibuscumq; Superioribus, Maioribus, illas exequi nequeant, nisi post respectum acceptum à Praelato Prouinciae, sub Poena Apostasiae, sicut alias pro Reformatis proficue statutum fuit: excipitur tamen vtrouique casus urgentis necessitatis, quae iudicio Superioris localis, & discretorum, dilationem non paritur; de quo iudicio ante discessum à Conuentu, eundem Superiorem provincialem certiore r faciant.

33. Si contigerit mors Visitatoris capta officij possessione declaratur Prouinciali competere regimen Prouinciae, & ad noui Visitatoris deputationem, in ijs tantum quae dilationem non patiuntur

Ex Cap.  
Rom: 1679

Pro Cismontana

Neapo.

1590.

Valisfol.

1593.

Cap Rom.

1664.

Pro vtraq;

Familia.

Pro Cismontana.

Familia.

Cap Valis

1670.

Pro vltra-

montana.

Cōgr. Rō.

1676.

Pro Cismontana

Familia

Cap. 101.

1682.

Pro vltra

montana

Familia

tiuntur. Vnde Visitare, processus formare, de præteritis delictis, causas terminare, & similia facere non potest. Demortui autem Visitatoris Secretarius, coram Superiore ac Discretis Conuentus, Visitaciones, cæterasq; scripturas ad præfati Visitatoris officium pertinentes, in Inuentarium referat; ac minori sigillo Provincie, munitas conferuet apud se; vsq; ad nouum Generalis mandatum.

26. Statutum disponens subrogationem non debere Patri digniori, nisi à præcedenti subrogatione per biennium integrum vacauerit, declaratur intelligendum esse de eo, qui in dicta subrogatione duobus etiam annis physicis durauerit.

28. Statuta disponentia, quod Diffinitores actuales, esse non possint Guardiani, & quod Diffinitoreo tempore; quo fuerit Guardianus de Corpore Diffinitorij esse non possit: declaratur esse intelligenda de Diffinitoribus Provincialibus electis, vel iam subrogatis, seu substitutis, non vero de subrogandis; ac propterea non obstantibus prædictis Statutis, Pater dignior potest imo debet subrogari, etiamsi tempore subrogationis faciendæ reperiretur actu Guardianus, qui huiusmodi Guardianatus munus, exercere potest vsq; ad nouam electionem Guardianorum Congregationis imminuentis, vel Capituli Provincialis sicut alias fuit dispositum.

30. Quotiescunque in Constitutionibus, Ordinis fit mentio de annis vacationum, declaratur intelligendos esse de annis Capitularibus, non de solaribus, nisi secus exprimat; præfati autem anni Capitulares, non debent esse minores decem, vel vndecim mensium, excepto casu imminuentis Capituli Generalis, vel alio rationabili ad iudicium Superioris Generalis.

32. Si in electione Vicarij Provincialis contigerit electum antecaptam possessionem renunciare; declaratur; Patrem digniorem qui præfuit illius electioni, posse, imò debere omnino vlla interposita mora, iterum conuocare Patres, si fuerint absentes, & legitimam agnoscentes renunciationis causam, ad electionem alterius Vicarij Provincialis deuenire absq; alia facultate Generalis, licet in hoc spatium trium dietarum reperiretur; Quod etiam intelligendum est cæteris paribus, si prædictus Vicarius statim è vita discederet. Interim vero regimen Provincie, in ijs, quæ dilationem non patiuntur spectat ad eandem Patrem digniorem.

36. Diffinitorium Generale declarat votum decisivum competere:

tere Praesidi in electionibus, quae per ballotationes tantum ipso proponente; non autem in illis, quae per schedulas, nempe proponente fiunt; neque eo uti posse, nisi post tres vices vota fuerint aequalia.

38. Pro omnimoda executione statuti praecipientis restitutionem vestimenti veteris post novum acceptum, sub poenis in proprietarios latis; Capitulum generale decernit ipso facto privandos esse superiores locales, & Provinciales si secus permiserint, vel taxatas poenas non exegerint.

3. Quandoquidem ex incuria Superiorum localium, non asseruantur monumenta, seu scripturas ad Conventus, pertinentes, complura eaq; non leuia detrimenta eisdem Conventibus obuenerunt iniungitur dictis Superioribus, quatenus intra bimestre ab harum publicatione colligant scripturas praedictas in vnura, easq; reponant in aliqua capsula, vel Archivio in quo bene custodiri, & asseruari valeant vna cum Inuentario, seu libro, in quo distincte notentur omnia in eisdem scripturis contenta, prout sunt fundationes, legata, instrumenta, Præuilegia indulta, & similia.

*Pro Refor  
matione.*

5. Quantum ad praecedentiam, quam ipsa Provincia Maioris Polonia praetendit à Minori, in poenam negligentiae vocalium eisdem accedendi ad Capitulum Generale; Diffinitorium Generale respondit, non constare de culpa totius Provinciae, & consequenter non esse adhuc dignam tali poenâ.

*Pro Pro  
uincijs Po  
loniae.*



BIBLIOTEKA  
SEMINARII  
KANDOMIERSKIEGO

43970







